Lapis. 1835.

Lv. D. 10.

BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 1304

register

REFUTATIO
LIBRI DE BAPTISMO
MARTINI SMIGLECII IESUITÆ.

Scripta

Ab HIERONYMO *a Moscorow*
Moscoroviо.



RACOVIAE,
Anno Domini, 1617.

10.484

INSTYTUT OSSOLIŃSKIEGO

XVII - 1304 - III

Veritatis studioso Lectori.

SMiglecius Iesuita Appendicem quandam, e secundæ responsionis meæ certo capite decerptam, adversus me confecerat. Hanc postquam diluissem, ille opusculum, quod de Baptismo inscripsit, mihi opposuit. In quo viam & rationem, quam in Appendice secutus fuerat, & cui ego pro officio respondentis in Appendicis refutatione institeram, prorsus deseruit; & nostra ab iis, quibus cohærebant, divulsit; ut ad eum modum, nostris inflectendis, fugillandis, & pro arbitratu mutandis, uti e responsione planum fiet, expeditiorem viam inveniret. Scilicet is est legitimæ disputationis ordo, aliam subinde ingredi viam; hac nempe ratione directè adversario respondetur, hac via veritas quæritur. Simile quid illius collega Petrus Skarga, ante annos aliquot, fecerat. Acerbissimo scripto edito, nos lacessierat; cujus technas & artes cum detexissem, ille loco responsionis directæ, novum librum confecit; in quem quæ liberet, ut responderet prout liberet, contulit. Videas Iesuitas, in eodem ludo, easdem artes doctos. Verùm quemadmodum in eo cum Skarga certamine, vestigia ejus ubique pressimus: ita in hac nostra cum Smiglecio disceptatione ratio a nobis exegit, ut idem institutum persequeremur. Sed cum idem, in sua ad Illustrissimum quondam Episcopum Cracovienſ. Petrum Tilicium Præfatione, me gravissimè accuset, quòd refutationem Appendicis eidem Episcopo dedicassem, hæc accusatio dissimulanda non videbatur. Quamobrem ejus capita inspiciamus.

Miratur primùm id a me factum, & de consilii facto se divinare nolle dicit. Illa enim, quæ in nos omnes iniustè conjicit, tanquam ab impotenti animo profecta, præter eo.

At cum

At cum facti & consilii mei rationes, in ipsa eadem dedicatione expositas haberet, quid erat hîc admirationi relictum loci? aut quæ de consilio divinandi data occasio? Deinde crimina objicit. Primum, quòd non expenderim, quid meipsum, quid Episcopum decuerit. At, cum Smiglecius apud Episcopum nos atrocem in modum criminatus esset, quid erat quod me magis deceret, quàm, & confessionem nostram, quæ divina veritate nititur, & nos, qui ob eandem traducimur, ab injusta criminatione vindicare? Quid item Episcopum magis decebat, quàm rei veritatem perspicere & cognoscere, & injuriâ pressorum innocentiam deprehendere?

Secundum, quòd Episcopi patrocinio munire voluerim, quæ quivis Catholicus execretur. At nusquam in hac mea dedicatione patrocinium Episcopi exquisivi, nusquam imploravi. An qui scriptum cuiquam dedicat, illico patrocinium quærit? Imò sæpe eò dedicat, ut alteri, vel vitæ suæ periculo, prosit; quemadmodum id a veteribus quibusdam factum cernimus. Quod verò execrari quemvis Catholicum nostra scribit: nec res ita habet; & ut haberet, non sequeretur id jurè fieri: quemadmodum nec ab illo populo Iudaico, qui a Sacerdotum grege in necem Servatoris impulsus, eundem unanimi consensu in crucem agendum vociferabatur, quod fiebat, jurè fiebat. Denique, si, quod non feci, fecissem, quid vel indignum Episcopo, vel ipsius persona indecorum fecissem? Ecquid, rogo, magis decet Episcopum, quàm laboranti Evangelicæ veritati subvenire? aut minimùm, quod sub nomine ejusdem veritatis ei offertur legendum, sine ulla animi perturbatione cognoscere?

Tertium

Tertium crimen est, quòd præcipiti hac audacia, notam inusserim temeritatis nomini meo, & in Episcopum injurius fuerim. Quis enim, *inquit*, non probrum & dedecus existimet, hominem hæreticum ad hæreticam fuliginem collustrandam Christiani nominis abuti splendore? *At disceptationem de rebus divinis offerre Episcopo, quæ est, rogo, nedum præceps audacia? eidem quod verissimum censeas dicare, quæ temeritas? denique, quæ in officio vel umbra injuriæ? Mitto, quòd cum eodem mihi multus usus a teneris fuit. At quòd hîc etiam me hæreticum hominem pronunciat, & meam confessionem ut hæreticam fuliginem, & tanquam dedecus mihi exprobrat; non sentit iste argutus homo, a se disceptantis, quam hîc susceperit, personam deseri, & judicis assumi? nec animadvertit, non ex opinione ipsius aut cujusquam, sed e naturâ suâ & veritate divina quamque rem hîc spectari & æstimari? & divinæ veritati tantum esse splendoris, ut eo omnes indigeant, illa nullius. Atque hæc crimina sunt capita accusationis Smiglecianæ. Tuum igitur erit, erudite lector, de hac accusatione ferre judicium; & quàm justa & legitima sit, decernere. Postremò addit, se ad nostra refellenda accessisse, ne audaciores fieremus; at responsiones ejusmodi, in quibus ubique grande supercilium, rarò responsio directè summovens exceptionem apparet, addit animos adversariis, non minuit. Porrò in ipso opusculi limine, quæ refutaturus esset Smiglecius notavit, & ea errorũ nomine dotavit: quorum pars ipsissima est veritas; pars falsò nobis afficta; pars, eadẽ verbis mutatis, qui mos est Smiglecii, iterata. quæ cum*

suis lo-

suis locis sint a nobis & appensa & discussa, iisdem toties repetendis, nauseam movere lectori, insulsissimum videbatur, Atq; hæc ferè sunt libro ab eo præmissa, idcirco a me tibi subjecta lector benevole, ut consilii ipsius rationes deprehenderes atq; notares. Dominus Iesus pectus tuum salutari veritate imbuat, fide & charitate perficiat, ad laudem suam & patris sui cœlestis gloriam, & tuam summam felicitatem. Amen.

Refutatio Libri
DE BAPTISMO MARTINI SMIGLECII IESUITÆ.

QUATUOR a me de baptismo negari, formam, materiam, fructū, necessitatem, scribit Smiglecius, quibus negatis, nihil quod de aquæ baptismo credi possit supereſſe, censet, eoq; sibi hæc refellenda, & ostendendum, nos hîc a cōmuni antiquitatis fide, & ab omni scripturæ sensu, quàm longissimè abesse. At verò, cùm formam Aquæ baptismi, Apostolis, in nomine Domini Iesu Christi, usurpatam, multis sacrarum literarum testimoniis apertissimè ostendam; cùm in aqua immersionem, materiam ejusdem agnoscam; cùm fructum esse, Domini Iesu professionem, & quandam gratiæ divinæ in eluendis peccatis, ac pœnitentiæ, nec non vitæ novæ adumbrationem censeam; & eam, quæ è superioribus resultat, aquæ baptismi necessitatem admittam; Cur a me illa, de aquæ baptismo negari, nihil veretur scribere Smiglecius? Nimirum quia illis de rebus, placita Smiglecii & ejus Ecclesiæ non sequor, idcirco scribit, illa a me negari. At cùm hîc vel authoritate antiquitatis primæ, id est, scriptis Apostolicis standum sit; vel ecclesiæ Smiglecii placitis adhærendum, quis non videt humanis divina, incertis certa, ecclesiæ placitis Dei decreta, per divinos scriptores publicata, anteponenda esse? Quæ Ecclesiæ Smiglecii placita, quantum ab antiquitate prima, & scriptis Apostolicis, & omni genuino illorum sensu, degenerarint, permulti ante me eruditissimè docuêrunt, & ex opusculi istius Smigleciani examine, Domino opitulante, planum fiet. Ad id igitur accedamus, quod cum Smiglecius per capita distinxerit, capita eadem retinebimus; in responsione verò eam rationē sequemur, argumenta Smigleciana & exceptiones subjiciemus ejus ut plurimum verbis; a quibus si brevitatis studio uspiam recesserimus, sensum tamen illius, ubiq; fideliter exprimemus, veritatem ab omni ipsius impetitione, nostra verò ab impressione asseremus & vindicabimus. Porrò per Sectiones Smiglecio insistemus, quēadmodum antehac fecimus. Tavtologiarum itaque Lectori attento molestissimarum, quibus Smiglecius ad eum modum delectatur, ut id tantum spectasse videatur, quemadmodum chartas scribendo compleret, ab erudito lectore veniam precamur. Etenim has vitare in tali scriptore, dum vestigia ipsius premimus, prorsus erat difficile, etsi pro

Objectiones Smiglecii.

Objectionū depulsio. Act. 2. 38. 8. 16.

Divinæ literæ placitis hominū anteponendæ.

Responsionis ordo.

etsi pro virili ut vitaremus, elaboravimus. Sic igitur caput primum inscribit.

Forma baptismi, Trinitatis professionem & invocationem contineri, contra Arianos demonstrari.

Caput I.

Trinitas Smigleciana citato testimonio nõ probatur.

AT videndum, quænam sit Trinitas Smigleciana, ut appareat an Baptismi forma, a Matthæo cap: 28. v 19. descripta, contineatur. Trinitas igitur Smigleciana est, tres personas, proprietatibus essentialibus distinctas, quarũ quælibet Deus existat, esse in una essentia divina. Atqui hanc trinitatem in baptismi a Christo instituti forma, expressis verbis non contineri, verba ipsa apud Matthæum indicio sunt, eandem etiam, ex illis non probari ulla legitima deductione, domino opem ferente, planum fiet.

Ioan: 15. 26.

De Patre, Filio, & Spiritu Sancto authoris confessio.

Ad nos quod attinet, notum tibi sit erudite & Christiane lector, nos profiteri Patrem illum ex quo omnia, qui ex Apostoli doctrina & definitione, est unus ille Deus, 1. Cor: 8. v: 6. & unum Dominum Iesum Christum, per quem omnia, uti Apostolus ad Corinthios supra citato loco docet, & Spiritum sanctum, qui a Patre procedit. Quos si quis trinitatem vocet, dummodò vocis sensum, ad dogma in sacris literis ea de re traditum accommodet, nos de voce hac, litem nullam esse moturos.

Sed argumenta Smiglecii videamus. Primũ igitur tale proponit.

Smiglecii argumentatio.

Si in Dei solius nomine baptisamur, Patrem, Filium & Spiritum sanctum verum esse Deum consequens est. In horum enim trium nomine baptismus ut fiat, a Christo institutus est.

Probatio argumentationis prior.

Antecedens probat: Primò, *Quod Paulus tantus Apostolus intellexit baptismum non in hominis alicujus etiam sanctissimi nomine conferri, sed in solius Dei nomine.* Hoc idem argumentum, uti ejusdem subsidia, sensu eodem, verbis parumper immutatis, in appendice proposuerat. Crambem igitur recoctam reponit nobis Smiglecius, quæ attento & temporis parcenti lectori mors est, quid respondenti censes fuisse? Ergo nulla erat causa, cur hîc responderem, satis erat hominem rejicere ad illa, quæ in appendicis refutatione scripseramus. Respondeo tamen; Nego antecedens connexi Smigleciani. Nec illud stabiliunt subsidia, quæ illi paravit. Nam quod ait, Paulum baptismum non nisi in Dei nomine conferendum esse intellexisse, in verbis Pauli ni-

Responsio ad argumentationem, & probationẽ illius priorem.

hil

hil tale apparet, quæ sic habent, *Aut in Pauli nomen baptisati estis?* Neque vero idem ex illis deduci ex iis constat, quæ in refutatione Appendicis pag:24. diserui mus.

Alterum subsidium antecedentis Smiglecíani est; *Baptismum aquæ conferri in remissionem peccatorum* Matth: 28. Act: 2. *Vnde non nisi in solius Dei nomine conferri potest, qui est præcipua salutis & remissionis peccatorum causa;* hæc ille. Hoc subsidium tanti est apud Smiglecium, ut in hujus capitis primi, tribus paginis, decies illud repetierit. Expendamus igitur tanti ab eo factam probationem. Nego igitur antecedens, nempe aquæ baptismum institutum proprie in peccatorum remissionem; nec ex testimoniis a Smiglecio allatis id ullo modo effici apparet. Primum enim testimonium nihil tale habet, verba ejus hæc sunt: *Data est mihi*, inquit servator, *omnis potestas in cælo & in terra. Profecti ergo, discipulos facite omnes gẽtes, baptisantes eos in nomen patris, & filii, & Spiritus sancti, docẽtes eos servare, omnia quæ præcepi vobis. Et ecce vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consumationem seculi.* Vbi igitur in his verbis mentio ejus rei baptismum institutum esse, in remissionem peccatorum? Nec verò eadem propositio Smiglecíana, ex iisdem deducitur. Etenim hîc servator potestatem sibi datam denunciat, præcepta quædam Apostolis injungit, in his etiam, ut discipulos Christo facerent, baptisantes eos in nomen Patris, & filii, & Spiritus sancti &c. & præsentiam suam Apostolis pollicetur. At quid hæc ad antecedens Smiglecianum? Smiglecius tamen eum locũ citavit, perinde acsi illo verbis expressis contineretur, baptismum aquæ in remissionem peccatorum Christum instituisse.

Responsio ad probationem argumentationis posteriorem.

Matth: 28. 18. 19. & 20.

Alterum testimonium producit Act: 2. quod itidem afferendum est, ut videamus an Smiglecii antecedens approbet. *Pœnitentiam*, inquit loco citato Petrus, *agite, & baptisetur unus quisq; vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum.* Cùm igitur Petrus pœnitentiam baptismo præponat, perspicuum est remissionem peccatorum ad solum baptismum non posse transferri; & cum pœnitentia & fide, peccata nostra deleri atq; purgari, ex beneficentissima Dei voluntate, in divinis literis testatissimum sit, Act. 13. 19. & 15. 9. quæ semper aquæ baptismum, si modò is ritè instituatur, antecedant oportet; quod fidei & pœnitentiæ, propriè secundùm gratiam divinam attribuunt sacræ literæ, id ad aquæ baptismum nullo pacto pertrahi propriè nec potest, nec debet, sed valdè impropriè; id verò, quatenus vel fidei & pœnitentiæ vim, & gratiæ divinæ virtutem in abluendis peccatis exterius adumbret, vel quatenus professionem nomi-

Gratia Dei, fide & pœnitentia interveniente, remitti peccata.

nis Iesu Christi contineat, quæ etiam extra baptismum fieri peregregiè potest. Vnde, ex eo loco non apparet, aquæ baptismum propriè in remissionem peccatorum institutum esse: quod etiam ex iis, quæ Paulus testimonio superius a Smiglecio citato, subjicit, testatissimum est. Etenim cum summa Apostolicæ doctrinæ, pœnitentiæ & remissionis peccatorum in nomine Christi, prædicatione, contineatur, Luc: 24. 47. certè si baptismus aquæ in remissionem peccatorum propriè institutus esset, nunquam Paulus Christum se non misisse, ut baptizaret, quocunq; respectu scribere potuisset. At scripsit. Ergo hinc apparet, Aquæ baptismum propriè non esse in remissionem peccatorum institutum. Quod cùm ita sit, manifestum est, Smiglecium, uti nec priore, ita nec posteriore testimonio comprobasse, baptismum aquæ in remissionem peccatorum propriè institutum esse. At ne hinc quidem in Dei nomine conferendum esse, eò quod Deus sit salutis & remissionis peccatorum præcipua causa, uti vult Smiglecius, doceri potest. Tametsi enim verissimum sit, Deum esse præcipuam salutis & remissionis peccatorum causam, hinc tamen consequi, aquæ baptismum in nomine Dei conferri oportere, nullo modo apparere. Potest enim Deus esse prima salutis & remissionis peccatorum, causa, quemadmodum est, & tamen aquæ baptismus alterius nomine conferri, quemadmodum illius baptismi Israelitarum in nube & mari, licèt Deus fuisset præcipua & prima causa, nihilominus tamen divinæ litteræ illos Israelitas in Mosen baptisatos testantur. Ex his itaq;, quæ subsidiis Smiglecii opposuimus, manifestum est, uti reor Smiglecium aquæ baptismum, non nisi in Dei nomine conferendum esse, non docuisse, quod subsidiis istis antecedenti connexi sui fulciendo quæsitis, firmandum sibi proposuerat. Vnde perspicuum est, illa omnia, quæ huic connexo tamquam basi superstruxerat, corruisse, ad cujus etiam consequentiam comprobandum, nihil prorsus attulit, ac si luce suâ pateret.

Apostolicæ doctrinæ summa.

Videamus porrò quemadmodum nostra, quæ argumento ipsius in appendice proposito objeceramus, accipiat Smiglecius. Quod ut commodius lector perspiciat, argumentum ab illo, in appendice propositum recitabimus.

> In quem, aut in cujus nomine baptisamur, Deum esse oportet. In patrem, filium, & spiritum sanctum baptisamur. Ergo &c.

Majori itaq; propositioni hujus argumentationis Smiglecianæ, quas-

quasdam instantias oppoſueram. Ad eas ita reſpondet Smiglecius, me nec ad rem ſpectantia exempla adducere & impertinentia loqui. Quid ita? Nempe, *quod quæſtio non ſit*, ut ait, *an quemcunq; baptiſmum in ſolius Dei nomine fieri oporteat; hoc enim nemo niſi ſtultiſſimus, aſſeruerit. Sicut enim varia ſunt genera baptiſmatum, ita varii ſunt illi, quorum nomine fieri illa baptiſmata poſſunt. Sic Ioannis baptiſmus, fuit in nomine Ioannis, quia ab illo inſtitutus, ex eo nomen & auctoritatem habebat* &c. *Sed quid hoc ad Chriſti baptiſmum, qui cùm ſit ad ſalutem & remiſſionem peccatorum inſtitutus, non poteſt niſi ejus nomine conferri, qui ſit prima ſalutis & remiſſionis peccatorum cauſa.* hæc ille. At Smigleci, cùm ego argumentationis tuæ majorem oppugnaverim, nonné hoc incumbebat tibi, ut illam probares? nempe eum Deum eſſe, in cujus nomine aquæ baptiſmus uſurparetur. At tu loco probandæ majoris, diverſum quid pro more tuo ſubſtituis. nempe non ea de re quæſtionem eſſe, an quemcumq; baptiſmum ſolius Dei nomine conferri oporteat. Elegans ſane a re propoſita, objectu quæſtionis novæ lectorem abducendi, & effingendi quod nemine propugnante oppugnes, artificium. Quanquam & hæc poſitio, quam hîc a ſe effictam oppugnat Smiglecius, ex illa priore conſequi videatur. Etenim ſi probaret Smiglecius, eum, in cujus nomine baptiſmus aquæ confertur, Deum eſſe, efficeretur, non niſi in Dei ſolius nomine aquæ baptiſmum conferri. Atq; cùm hanc propoſitionem Smiglecius oppugnet, & in nomine Ioannis, baptiſmum illius collatum ſcribat, non ſentit eadem opera, ſe majorem argumentationis ſuæ oppugnare & evertere, & noſtra ſine cauſſa refellere conari? Quod tamen quo ſucceſſu moliatur, diſpiciamus. Inſtantiarum prima mearum fuerat; Iſraelitas in Moſen; ſecunda, diſcipulos Ioannis, in Ioannis baptiſma; tertia, in Chriſtum baptiſatos, interprete Apoſtolo, in mortem ejus baptiſatos eſſe. E quibus ſingulis conſequitur, eum vel id in quem vel quod baptiſmus aquæ uſurpatur, Deum non eſſe. Si igitur inſtantiæ meæ nervos incidant argumentationis Smiglecianæ, tuum erit lector candide & erudite decernere, quo jure Smiglecius inſtantias haſce, nec ad rem allatas, & me impertinentia locutum aſſeruerit. Quinetiam cum majorem argumentationis ſuæ nunc ita limitet, ut ea quæ a me allata ſunt, ad Chriſti baptiſmum pertinere neget, num hoc ipſo jugulum argumentationis ſuæ appeti inſtantiis meis non agnoſcit? & quod verbis negat, re admittit, inſtantias meas ad rem allatas eſſe? Quæ tamen limitatio, ſi legitima foret, non eſſet ſufficiens, nec enim vim ultimæ inſtãtiæ exhauriret. Baptiſatos enim in Chriſtum, baptiſatos

Smiglecius, loco probationis, aliud obtrudit.

Inſtantiæ oppoſitæ, a Smiglecio non ſummotæ.

ſatos Chriſti baptiſmo conſtat; & tamen hos baptiſatos, in mortem Chriſti, Apoſtolus docet. Præterea etiamſi ſufficiens eſſet, nulla vis ei ineſſet. Baptiſmum enim aquæ, tam Ioanni, quàm Apoſtolis uſurpatum, profeſſione tantum differre, illa Epheſinorum a Paulo rebaptiſatorum hiſtoria, teſtis eſt. Ex qua ut diſcipulos Ioannis, in Ioannis baptiſma; ita diſcipulos Chriſti, in Chriſtū, aqua baptiſatos cōſtat. Ex re igitur ipſa, & ex iis, quæ ſcribit Smiglecius, Ioannis baptiſmum, in illius nomine collatum fuiſſe, nihil prohiberet, ſi naturam tantùm aquæ baptiſmi ſpectes, baptiſmum ab Apoſtolis uſurpatum, in alio nomine, quàm Chriſti exhiberi potuiſſe. Quod autem exhibitus ita nunquam ſit, non aquæ baptiſmi natura in cauſa fuit, ſed Apoſtolorum officium, quod erat nemini alii, niſi Chriſto facere, juxta Chriſti præceptum, diſcipulos. Quod niſi fieri poſſet, non rectè Paulus ad eum modum contra quosdam Corinthiorum argumentatus fuiſſet; Aut in Pauli nomen baptiſati eſtis? & ſine cauſa gratias egiſſet Deo, quòd paucos eorum baptiſarit, ac veritus præterea fuiſſet ne quis eſſet, qui diceret eum in ſuum nomen baptiſaſſe. Porrò quæ hîc ſcribit, de aquæ baptiſmo, eum ad proprium effectum Dei ſolius inſtitutum, id nos falſum in refutatione ſubſidiorum connexi Smigleciani docuimus. Obiter & illud annoto, Ioannis baptiſma a Ioanne inſtitutum ſcribit Smiglecius, quod tamen refellere videntur, illa verba Ioannis, *Ille qui miſit me, ut aqua baptizem*, &c.

Rom: 6. 3.

Cauſa, cur Apoſtoli aqua, in nonomine Chriſti tantùm baptiſarint.

Matth: 28. 18.

Ioan: 1. 33.

Notat etiam lapſum, ut is putat meum, quòd ut ſcribit idem eſſe in re aliqua baptiſari, & in nomine ejus baptiſari exiſtimem. *Baptiſari enim*, ait, *in aqua & mari, non eſt in nomine aquæ vel maris baptiſari.* At nusquam id ſcripſi, quod mihi affinxit Smiglecius. Baptiſari in aliquem, & in nomine alicujus, pro eodem ſumi, ſcripſi & aſſerui; aſſertionem meam ſimilibus loquendi modis in literis divinis comprobavi, quam etiam nunc ipſe Smiglecius his verbis approbat: Si in nomine alicujus baptiſetur quis, conſequens eſt in ipſo baptiſari. Cur igitur hęc mihi affinxit? At ipſe in eadē reprehenſione terminos mutat; dum *materiam* opponit formæ; Cùm tamen forma formæ opponenda fuerat, ſi ad rem loqui voluit. Ait enim in nube & in mari baptiſari, non eſſe in nomine & maris & nubis baptiſari. Cur verò Domine Doctor? nempe quod mare & nubes velut materia illius baptiſmi fuerant; at in Moſen, quæ erat illius baptiſmi forma, baptiſatos fuiſſe omnes Iſraelitas litteræ divinæ docent. Iam quod hîc dicit, nihil nos facere in nomine rei, ſed tantùm in nomine perſonæ: equidem eam orationem propriè ad perſonam referri fateor, ſed ad rem etiam

Smiglecii non apta oppoſitio.

etiam figuratè transferri posse nulla ratio vetat, maximè si res personis, in eadem oratione conjungatur.

Ait deinde, aliam me instantiam afferre de Christo, in cujus nomine baptisamur, qui tamen naturâ Deus non esset. *Hanc*, ait, *non esse instantiam, sed crassam principii petitionem. Stultum est dare instantiam, quam adversarius non admittit. Lex instantiarum est, ut sint ex eorum genere quæ ab adversario admittantur.* At si cum protervo adversario res sit, qui ore infrunito neget omnia, num propterea instantia, quia illam adversarius talis non admittat, erit illegitima? Certè si Smiglecio credimus, etiam maximè legitima, pro illegitima erit censenda. At si rationem, quæ anima legis est sequamur, ex natura rei, non ex opinione adversarii, ut omnia, ita instantias æstimabimus. Iesu nomen, homini tantùm convenire hinc patet, quòd circumciso puerulo datum sit nomen Iesus Angeli jussu. Et Christi itidem: Nam Iesus crucifixus, factus est a Deo Christus. At in Iesu Christi nomine, aquæ baptismum semper Apostoli conferebant, uti in Appendice singula hæc deduximus. Quibus ommissis, adversus nos insurgit Smiglecius. *Quis enim*, inquit, *præter Arianos Christum verum Deum negat?* At nos Christum Deum verum negare, etiamsi Deum naturâ negemus, demonstrari non potest, cùm vox Dei officii nomen sit, non naturæ. Quemadmodum porrò Rex, verus est rex, etiamsi non sit naturâ Rex; ita & Christus verus Deus, etiamsi non sit naturâ Deus. At scribit, me præclarè illaturum fuisse inde, quòd in nomine Christi baptisamur, Christum naturâ Deum, quemadmodum Catholici facerent. At quî contra rationē, id colligerem? Athanasii verò quem hujus collectionis habetis authorem, cùm is homo divinus non fuerit, qui errare non potuerit, non est tanta auctoritas, ut ejus dicta pro firmamentis fidei admittenda sint.

Ex natura rei quodque æstimandum.

Luc: 2. 2.
Act: 2. 36.

Athanasius, cur pro firmamento fidei non sit habendus.

Pergit porrò Smiglecius, & recenset meam, ad citatum a Smiglecio Apostoli testimonium, responsionem, & ait, plus Apostolum dicere, quàm ego commemorem: *Etsi enim a dissidiis Corinthios retrahat, tamen* (inquit Smiglecius) *hoc ipsum Paulus ita dixit, ut tamquam absurdum inferat, ac impossibile, ut vel Paulus crucifixus sit pro nobis, vel in nomen Pauli baptisati sumus? Hanc enim vim habere interrogationem illam, nunquid Paulus est crucifixus pro vobis, aut in Pauli nomine baptisati estis?* Hanc eandem rationem aliis verbis repetitam, in sequenti paragrapho, illationi meæ, quam ille in quæstionem vertit, oppositam, prosequitur. At Paulus ex facto Corinthiorum, jus urget: Christi nomen professi estis in aquæ baptismo: Ergo vos Christi discipulos, non

Ratiocinatio Smiglecii.

BIBL. Z.N.IM. OSSOLINSKICH

los, non Pauli, esse necesse est. Quare ad eum modum cùm Paulus argumentetur, perspicuum est, absurdum vel impossibile id esse, ut quis in nomen hominis certi baptisetur, eum non inferre. Ac sane, si tamquam impossibile inferret, tum id vel naturâ suâ, vel Apostolicâ doctrinâ impossibile esse oporteret. Non naturâ suâ, vel ipso adversario teste, qui Ioannis baptisma, in nomine Ioannis administratum scribat. Non etiam Apostolica doctrina; nam illas quas citavimus instantias, e quibus in alio quàm in Dei nomine baptisma aquæ collatum asserit scriptura, ex Apostolica doctrina excepimus. Quocirca nullo modo id tamquam impossibile, intulit Paulus, quod vult Smiglecius. Deinde, si hoc tanquam impossibile intulisset, cur id de Corinthiis suspicatus fuisset? ne quis, inquit, dicat, quia in nomen meum baptisavi. Deniq; etiamsi hoc proprium Christo esset, in ejus nomen baptisari, tamen ex eo inferri non posset, eum Deum esse. Nam ex eo, quòd Christo proprium est, id tantùm effici potest, nemini alii id, quicumq; tandem sit, competere; at nõ hoc, quod vult Sm^s, eum Deum esse naturâ. Quod quidem ipsum etiam, quod ex Apostolo affert Smiglecius, satis declarat: in crucem agi pro expiandis peccatis nostris, est Christo proprium; quemadmodum concipi e Spiritu sancto, nasci ex virgine, ad dexteram Dei sedere, & alia multa; num ex his, quia illa Christo sint propria, inferetur, quod urget Smiglecius? At rationis loco affert: *Vti solius Dei proprium est, nomine suo peccata remittere, ita & baptismum remissionis peccatorum conferre.* & infert, *Quocirca nec in Christi nomine baptisari posemus nisi Christus Deus verus esset.* Verùm, quantum ad antecedentis hujus rationem attinet, pars illius vera, pars falsa est. Vera, dum solius Dei esse proprium nomine suo peccata remittere asserit, idq; significatione in potiorem sensum accepta, in significatione diversa, falsa est. Etenim peccata remittere: suo nomine, nõ est hoc ita Deo proprium, ut non id cum altero communicare potuerit, uti inferius apertissimis Christi verbis planum faciemus; posterior antecedentis pars, prorsus falsa est, baptismum aquæ, Deum conferre, tamquam baptismum remissionis peccatorum, quemadmodum ante docuimus. Illationem verò illam, Quòd in Christi nomine baptisari non possemus, nisi esset naturâ Deus (id enim Smiglecio verus Deus est) non consequi ex dictis constat. Falsam verò esse per se, hinc apparet, quòd Israelitæ in Mosen baptisati fuerant, licet is Deus naturâ non esset.

1. Cor. 15.

Quid ex eo quod Christo propriũ sit, colligatur.

Peccata remittẽdi potestatem, cum alio potuit communicare Deus.

Verùm jam accedit ad consectaria, quę e superiore disputatione deduci putat, *ex quibus*, inquit, *patet, cùm dicimur in nomine alicujus baptisari,*

ptisari, indicari primùm causam principalem remissionis peccatorum, non ministerialem, nec instrumentalem. Minister enim, quicquid facit ut minister, non suo sed superioris nomine facit. At hoc consectarium nihil pro Smiglecio facit. Nam etiamsi daretur Smiglecio, aquę baptismum indicare caussam principalem remissionis peccatorum, num idcirco consequeretur, eum in quem baptisamur, Deum esse naturâ, quod his ambagibus, confectum vult Smiglecius? licet aquę baptismus non nisi nomen ejus, in quem baptisamur indicet, ut ex baptismo, qui in Mosen, imo ex ipso, qui in Christi nomen confertur, perspicuum est. Nullam etiam remissionem peccatorum in aquæ baptismo contingere, superius planum fecimus. De ministro quæ hîc addit, πρὸς ὅδεν ἔπος, quæ tamen inferius examinabuntur.

Consectariũ Smiglecii nullum.

Secundum consectarium. *Deinde*, inquit, *etiam indicatur causa hæc in cujus nomine confertur baptismus esse Deus. Is enim, in cujus nomine peccata nobis remittuntur, sive in baptismo, sive extra baptismum, Deus est. Cùm igitur is, in cujus nomine baptisamur sit is, in cujus nomine nobis peccata in baptismo remittuntur (idem enim sunt ista baptisari in remissionem peccatorum, & accipere in baptismo remissionem peccatorum) consequens est, in cujus nomine baptisamur esse Deum verum.* Sed evolvamus Smigleciana, ut vis consectarii appareat;

In cujuscumq; nomine remittuntur nobis peccata, is Deus est.

At in ejus nomine in quem baptisamur, nobis in aquæ baptismo peccata remittuntur.

Ergo is, in cujus nomine baptisamur aquâ, Deus est.

Summa argumẽtationis Smiglecianæ.

Maior universe accepta, quemadmodum accipienda prorsus est, si Smiglecius rem propositam conclusam velit, falsa est. Nam apertissimè Christus docet; Filium hominis auctoritatem habuisse in terris, remittendi peccata. Ergo etiam in ejus nomine, peccata in terris remissa fuisse, planum est. Secundo, idem longè evidentius ostendit, dum ait: Sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus, pœnitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes. Cui Petrus in Actis concinit, dum Iesum a mortuis interemptum & in ligno suspensum, Deum exaltavisse dextera sua principem & Servatorem ad dandam pœnitentiam Israel; & remissionem peccatorum, testatur. Vnde cum in nomine Iesu Christi, in crucem acti & resuscitati, prædicetur pœnitentia & remissio peccatorum; & idem sit dextera Dei princeps & servator exaltatus, ad dandam Israeli pœnitentiam & remissionem peccatorum, patet in nomine Christi, qui sit naturâ homo, peccata remitti. Etenim

Illius refutatio.

Matth: 9. 6.
Mar: 2. 10.

Luc: 24. 41.

Act: 5. 31.

In nomine Iesu Christi, naturâ hominis remitti peccata docetur.

pati resuscitari a mortuis, exaltari a Deo in principem & servatorem, in hominem tantùm cadit, a divinâ certè naturâ, ista sunt alienissima. Ergo manifestum est, majorem istam Smiglecianam universè acceptam falsam esse; in potiorem sensum acceptam veram. Verùm ad eum modum Smiglecii argumentum rem propositam non concludet.

Pharisæorum cogitationes, a Christo refutatæ.

Porrò quod ad firmandam suam majorem affert verissimum esse quod Marci 2. dicunt illi Pharisæi: *Quis potest peccata remittere nisi (unus,* addit Evangelista) *Deus*, ibidem paullo inferiùs ipse dominus Iesus refellit. Cùm enim Pharisæi ita in cordibus suis ratiocinarentur: Neminem peccata remittere, nisi Deum, Christum itaque blasphemare, qui dixisset paralitico: *Confide fili, remissa sunt tibi peccata;* Dominus eorum ratiocinationes redarguit, & dicto, dum ait: *Vt autem sciatis filium hominis authoritatem habere supra terram remittendi peccata*, & facto, dum paralyticum, cui peccata remiserat, solo jussu restituit. Quod etiam ex Iobo affert, neminem posse ex immundo mundũ facere nisi Deum, id quidem Iobi tempore immediatè, ut sic dicam, valuit; at postquam Iesus Christus apparuit, & plenissimam a Deo potestatem servandi suos consecutus est, idem quidem, sed mediatè jam valet. Nam & Christus data sibi a Deo potestate, ex immundo mundum facere potest, adeò quidem, ut sanguine ejus emundari nos ab omni iniquitate diserti ssimè litteræ divinæ testentur, & nos sanguine ipsius redemptos clarissimè doceant. Minor prorsus falsa est, uti superius docuimus. Ergo nulla vis consectarii.

1. Ioan: 1.

Ruina secundi consectarii.

Tertium consectarium est. *Indicatur Christum esse Deum verum, si quidem in nomine ejus baptisamur, & in nomine ejus remissionem peccatorum consequimur.* At ejus consectarii e superiobus solutio patet; etiamsi enim in Christi nomine aqua baptisemur, & remissionem peccatorum adipiscamur, tamen id cum naturâ Deum non docet; verum id solum, tantam ei esse a Deo potestatem concessam, qua ille possit peccata remittere, & in ejus fideles summum jus & imperium.

Tertii consectarii infirmitas.

Quartum consectarium est: *Quartò eadem ratione indicatur Spiritum S. esse verum Deum: siquidem in ejus nomine baptisamur, & in nomine ejus consequimur remissionem peccatorum.* Atqui prius nullo modo id efficere ostendimus superiùs, posteriusverò numquam ex suo sensu, docebit e divinis libris Smiglecius.

Quartum consectarium, nullo pacto posse, doceri.

Quinctum consectarium est: *Quintò indicatur Spiritum S. esse personam. Non enim de re, quæ non est persona, dici potest, quòd in nomine illius aliquid dicatur fieri, sed id propriè de solis personis affirmari solet.* Atqui Smiglecius ex istis vocibus, *in nomine*, divinam essentiam deducebat,

ducebat, nunc personæ naturam deducit. Verùm esto, hæc tantum de personis propriè dici, quæ hîc de Spiritu Sancto dicuntur, num de rebus dici impropriè non possunt? Quemadmodum providere, ante denunciare, propriè personarum sunt, ad scripturam tamen hæc divinæ litteræ, quemadmodum permulta, quæ personarum sunt, ad res transferunt. Ergo non satis est, ad demonstrandam Spiritus sancti personam, quædam de illo dici, quæ propriè de personis dicantur, nisi ille priùs naturâ esse persona doceatur. Ad personam enim constituendam, naturam personæ requiri constat, non aliquem loquendi singularem modum, qui personarum sit. Iam quæ hîc excipit, quòd in Græco habeatur, *In nomen, & hoc idem valere atq; in nomine Latinis, & has voces e Græco in Latinum ad eum modum convertendas fuisse. Latinos enim non solere dicere, in nomen aliquid facere, sed in nomine;* vereor ut subsistant. Latini enim nunquam, quod sciam, dicunt, In nomine alicujus quippiam facere, sed potiùs, nomine alicujus facere aliquid, omissa prorsus (In) præpositione. Quin etiam, in nomen facere aliquid Latini dicunt; cùm in nomen alicujus, jurare quempiam dicunt.

Gal. 3. 8.

Cõsectarii quinti vis nulla.

Recitatis consectariis suis, redit ad nostra: & scribit; *Secundò negat Moscorovius, in forma baptismi professionem & invocationem trinitatis fieri.* At professionem fieri, Patris, filii, & Spiritus sancti in eo baptismo, qui Matth: 28. describitur, nunquam negavi; de invocatione inferiùs, ne toties eadem repetantur, videbimus. Ne igitur falsa veris misceat pro more suo Smiglecius. Trinitatem verò ejusmodi, Patrem, Filium, & Spiritum S. esse tres in una divinitate distinctas personas, quarum quælibet Deus sit, contineri in eodem testimonio negavi, ac etiamnum pernego.

Quid negaverit, author, quid non docetur.

At Smiglecius ait: *Nos id*, inquit, *clarissimè demonstramus.* Expendamus igitur istam clarissimam demonstrationem. Sic igitur Smiglecius: *Trinitatem enim intelligimus, Patrem, filium, & Spiritum sanctum, unum verum Deum, tres personas in unitate divinæ naturæ existentes. Atqui hoc ipsum profitemur in forma baptismi. Nam & Patrem, & filium, & Spiritum S. nominamus, & unum eorum nomen agnoscimus, in quo baptisari nos in remissionem peccatorum oporteat. Tale enim nomen est unum tantùm, Dei scilicet veri nomen, præter quod nullum aliud est nomen, in quo peccata nobis remitti possunt, sive in baptismo, sive extra.* hæc ille. At summa Smiglecianæ istius demonstrationis hæc esse videtur: In forma baptismi profitemur patrem, filium, & Spiritum sanctũ, & unum eorum Dei nomen agnoscimus, in quo baptisamur in remissionem

Summa demonstrationis Smiglecianæ.

sionem peccatorum. Ergo sunt tres personæ divinæ, in una Deitate.

Refutatio demõstrationis. Respondeo, in conclusione a Smiglecio poni, quod non est in forma baptismi a Matth: descripta. Nam in forma baptismi præsentis fit mentio, nominis patris, filii, & Spiritus sancti. At hos esse tres distinctas personas, in una Deitate; aut esse illorum unum Dei nomen in quo baptisemur, in remissionem peccatorum, non exprimitur, non docetur. Loco igitur demonstrationis clarissimæ, affert nobis Smiglecius petitionem principii crassissimam, dum non testimonio præsenti, sed assertione nuda sua vult comprobare.

Porrò quod scribit, *Rectè igitur SS. Patres, ex eo quod in forma baptismi dictum sit a Christo, in nomine, non in nominibus, concluserunt, unum esse nomen patris, filii, & Spiritus sancti, nempe Dei veri nomen. Intellexerunt enim, nomen in quo baptisamur, esse unius veri Dei nomen: quare cum hoc nomen in quo baptisamur, patri, & filio, & Spiritui sancto tribuitur in forma baptismi, intellexerunt patrem, filium, & spiritum S. esse unum verum Deum, & unum Dei nomen commune habere.* At nec Patrum vetustissimi ita concluserunt, quemadmodum in Appendicis refutatione ostendimus; nec si Patres etiam omnes, licet nullum prorsus citat in eam rem Smiglecius & quidē vetustissimi ita concluserint, rectè concluserint. Nam cùm in hac baptismi forma, verborum istorum, in nomine, significatio possit alia dari, apparet conclusionem eorum non esse necessariam. At dari posse hanc, quam affert

Lib: de Trinit: 2. Hilarius: In nomine baptisari, id est, in confessione *Patris*, & unigeniti, & doni baptisari, ratio ipsa docet. Quid enim Christum mandare Apostolis conveniebat magis, & in quo Apostolos Christi mandatum exequi studiosiùs oportuit, quàm ut confessione vera patris, filii, & Spiritus sancti, & præceptis vitæ salutaribus, quos Christi discipulos facturi erant, imbuerent? Deinde, cùm in essentia Dei, vel, in essentiam Dei baptisari, impossibile prorsus sit, hinc apparet, voces In nomine, in essentia Dei, istos patres interpretari non potuisse. Quod

Verbis *in Nomine* apud Matt: citato loco, divinam essentiã non significari. si Smiglecius hîc excipiat, non esse hoc ita accipiendum, ac si in ipsa essentia Dei, baptizari & immergi nos oporteat, dum in aqua mergimur, eadem opera in nomine non significari propriè in essentia, ipse idem agnoscat necesse est; ac proinde, hîc nomine, Dei naturam non designari. Vsus denique ejus phraseos in sacris literis, ei explicationi prorsus refragatur. Dicuntur fideles in nomine Christi congregari. Num in ejus essentia divina? At id impossibile; ac præterea Christus, in nomine suo coactis, præsentem iis se fore promittit.

3. Cor: 5. 4.

Ioan: 16. 24. Iubentur fideles, in nomine Christi patrem petere, num in essentia ejus

jus divina? Certè non; sed quia Christi discipuli essent, quemadmodum alibi ipse interpretatur. Sed quid rem in divinis literis testatissimam persequor? Nusquam hujus phraseos istiusmodi, quam urget Smiglecius in literis novi fœderis reperietur significatio. Hîc porrò eam locum non habere, jam id ipsum ex eo, quòd fieri non possit, ut quis in essentia divina aut baptiset, aut baptisetur demonstravimus. Mar:9. 41.

Pergit Smiglecius: *Vanè gloriatur Moscorovius, se adversus Scargam ostendisse, hæc verba, in nomine, per ellipsim tam ad patrem & filium referri, nam neq; nos referri negamus.* &c. *sed dicimus sub una ratione Dei veri referri ac proinde, non sub tribus nominibus, sed sub uno Dei veri nomine. Id autem non ex Grammatica probamus; scimus enim si Grammatica spectetur, illa verba in nomine, æquè tria consequentia designare posse, sicut unum omnibus commune nomen. At si rationem e sacris literis, & ex subjecta materia rem expendamus, dubium non est, nomen illud in quo baptisamur, esse solius veri Dei nomen, atq; hoc unicum Dei nomen ad patrem, filium, & Spiritum sanctum referri. Quare, crepet licèt Moscorovius, sanctorum Patrum sententia in uno veri Dei nomine, verissima est, convelliq́ue ac labefactari Grammatica Moscorovii minimè potest,* hæc illle. Si hæc verba, *in nomine*, ad filium & spiritum sanctũ referri Smigleci admittis, quod ego adversus Scargam ostendi, cur vanitatem mihi ea in re objicis? Nam quocunque modo referantur, dummodò referantur, semper quod scripsi, non solùm naturâ suâ, verum etiam ex tua agnitione verum manebit. At cùm id etiam te non ex Grammatica probare ais: in me illud contorques, ac si quid hîc ego probem, cùm tantùm excipiam atque respondeam. At rationem illam suam sub veri Dei nomine, ex sacris literis petitam, ac subjecta materia Smiglecius demonstrare se sibi persuadet; & dubium non esse ait, in quo baptisamur, esse solius Dei nomen. Verum hanc rationem, quam toties ad nauseam occinit, nos vanissimam esse superius ostendimus & subjecta illius loci apud Matthęum materia est: in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, illud baptisma administrandum discipulis Christi fuisse, ut res ipsa docet. Non est igitur cur crepem, cùm non solùm ex rei natura, verum etiam ex tua ipsius confessione, quod adversus Scargam scripsi, verum persistat. Et si qui Patres sint, qui super sensu verborum, quem illa nullo modo ferant, Trinitatis tuæ dogma rationi repugnans struxerunt, istam structuram eorum collabi, oportet, cùm fundamento prorsus ruinoso nitatur. Loci apud Matthæi materia subjecta.

Subjicit Smiglecius mea verba, *in forma baptismi mentionem fi-*

eri patris, filii, & ſpiritus ſancti, non invocationem: ex mentione autem, inquit Moſcorovius, non colligitur invocatio, & reſpondet, *id inquam, nimis futile eſt. Non enim quæcumque mentio, eſt invocatio.* Vide, quam ſcite Dn. Doctor meam exceptionem refutet. Ex mentione non inferri invocationem, nimis futile eſſe ait: rationem ejus rei affert: non enim quæcumq; mentio eſt invocatio, nempe igitur meam exceptionem approbat, quæ aſſerit, ex mentione non inferri invocationem. Habet hoc in more D. Doctor, ut nimio ſui ſuſpectu, & contumelioſa aliorum deſpicientia refutatas adverſariorum rationes velit; quod ubiq; ſi obſerves, in ejus reſponſis deprehendes. *Sed* inquit, *cum talem mentionem facimus, ut in ejus nomine aliquid obtineamus, quis inficiari poterit, ejusmodi mentionem eſſe veram Dei invocationem? Ita verò mentio Dei fit in baptiſmo* &c. *Quare Ananias Saulo ait, Baptiſare, & ablue peccata tua invocato nomine ipſius, ut vel ex hoc ipſo doceatur, nomen in quo baptiſemur, non nudè commemorari, ſed invocari.* At primum inficior ego, illic invocationem eſſe, ubi aliquid in nomine Dei vel Chriſti obtineatur. In nomine Ieſu Chriſti obtinuit ille claudus ab utero, ſanationem; item Aeneas ille reſtitutionem, neuter tamen Chriſtum invocavit. Ita Chriſtus multos ſanavit, non invocantes eum; & Lazarum a mortuis reduxit, etiamſi nemo ipſum eo nomine invocaſſet. Videt igitur Dominus Doctor, non ilicò eſſe invocationem, ubi in nomine alicuius aliquid obtinetur; ſed tum demum invocatio fit, cùm opem imploramus. Quod in baptiſmo Mat: 28. non fieri, ipſa res docet. Nã illic baptiſare jubentur Apoſtoli in nomen Patris, filii, & ſpiritus S.; at non opem implorare. Vnde apparet nullam in illo Matth: 28. teſtimonio, adhiberi invocationẽ. Nec locus, quem citat ex Actis Smigl., id evincit. Nã hîc quæritur, an baptiſmus Mat: 28. deſcriptus habeat in ſe invocationem. Ex hoc itaq; loco non ex alio demonſtrandum id fuerat. Cùm verò Smiglecius ex alio rem demonſtret, apparet eum aut ſtatum quæſtionis non aſſecutum eſſe, aut certè diſſimulaſſe. Mitto, quòd locus ex Actis ſit a loco Matthæi, quò ad materiam & loquendi modum longè diverſus. Deniq;, quòd illic Ananias, res duas præſcribat Saulo, alteram ut baptiſetur, alteram ut abluat peccata ſua, nomine ipſius Domini invocato. Et certè hoc ad Pauli eluenda peccata, maximè pertinebat, ut nomen Domini Ieſu, cujus antea profeſſus hoſtis fuerat, eum acerbiſſimè in membris ejus perſequutus, invocaret. Nec verò in aquæ baptiſmo, Domini Ieſu profeſſio pro nuda commemoratione cenſeri poteſt, quemadmodum putat Smiglecius. Nam qui in nomen Chriſti bapti-

Ex mentione nõ inferri invocationem.

Act: 3. 6. 9. 34. Ioan. 9. 7. 11. 44.

Invocationis natura.

Profeſſionis Chriſtiæ vis.

baptisatur,palàm & solenniter ita declarat, se nullum deinceps habiturum pro servatore & rege suo,nisi Iesum Christum. Quæ professio parendi Christo & ejus præcepta servandi,conditionem secum ex obligatione infert. Verumtamen ex hac professione, licèt solenni, numquam Smiglecius disertè colligi invocationem propriè dictam demonstrabit.

Verùm pergit Smiglecius: *Ex dictis colligo primùm, Moscorovium, cum suis Racovienſibus, veram baptismi formam, quæ ab ipso Christo instituta est, negare. Siquidem negant filium & spiritum sanctum esse illum unum verum Deum, in cujus nomine baptisamur in remissionem peccatorum.* At formam illius baptismi, qui Matth: 28. extat,admittimus,& perurgemus. Ergo falsum est,nos illam negare,quod asserit Smiglecius. Nam quod rationis loco affert, nos negare filium & spiritum sanctum esse unum illum verum Deum: ea non demonstrat nos id negare, quod pleno ore profitemur: deinde ad rationem ipsam respondemus, cùm filius sit ab uno illo vero Deo genitus, Spiritus sanctus ab uno illo Deo procedens, ac tam filius quàm Spiritus sanctus illius unius Dei sint; quemadmodum veritas ipsa divina testatur, & adversarii fatentur; hinc efficitur necessariò,quod filius & Spiritus S. non sint ille unus Deus. Neque verò effugium illud, quoad personas sunt diversi, quoad essentiam idem Deus sunt,locum hîc habere potest. Etenim hîc ex eo, quod maximè illius unius Dei essentiæ proprium est,convincitur filium & spiritum sanctum, non esse illum unum Deum. Nam unus ille Deus non est ullius, a quo dependeat prorsus. Quapropter in eum nemo, at ille in omnia jus habet. Filius & Spiritus Sanctus, Dei sunt prorsus; & ipsorum adversariorum confessione, ratione originis, ab hoc uno Deo dependent, qui pater est. Sic enim illorum symbolum habet, Deum de Deo. Idem de Spiritu sancto fatentur. Ergo perspicuum est, eos non esse, unum illum Deum. Porrò Deum esse in quem baptisemur, & baptisari nos aqua propriè in remissionem peccatorum,cujus rei repetendæ nullum finem novit Smiglecius,falsa superius ostendimus.

Filium & Spiritum S. non esse unum illum Deũ demonstratur.

Subjicit. *Cùm enim,præter unum verum Deum nullus sit,qui peccata remittere possit, consequens est, ut Ariani vel Filium & Spiritum sanctum, verum & unicum Deum esse agnoscere debeant, vel in nomine ejus nos baptisari, & consequi remissionem peccatorum negent.* hæc ille. At quemadmodum hæc vera sunt;quemadmodum item falsò a Smiglecio usurpentur,ostendimus superius. Nihil igitur est,cur eadem Smiglecii more repetamus, nisi lectori fastidium creare velimus.

Conti-

Continuat Smiglecius: *Similiter cùm Spiritum ſanctumeße perſonam negant, an non formam baptiſmi evertunt? Is enim in cujus nomine baptiſamur, non poteſt non eſſe perſona. Cùm de rebus quæ non ſunt perſonæ, non dicatur in nomine earum aliquid fieri. Quapropter, aut Spiritum ſanctum eſſe perſonam fateri debent, aut in nomine Spiritus ſancti baptiſari poſſe negare debebunt.* hæc ille. At cùm in baptiſma Ioannis baptiſatos conſtet, etiamſi baptiſma Ioannis non fuerit perſona, falſum eſt, nos, etiamſi Spiritum ſanctum negemus eſſe perſonam, non poſſe in illum baptiſari. & Paulus etiam ipſe, nos in Chriſti mortem baptiſari apertiſſimè docet. *De ea verò deductione*, Spiritum ſanctum eſſe perſonam, quia in ejus nomen baptiſemur, egimus ſuperiùs. Smiglecius eadem occinit perpetuò, & jam ex his verbis, in nomine, Dei eſſentiam, jam perſonam probat, ut nobis oſtendat, quàm in comprobandis ſuis inops exiſtat.

Act: 19.3.

Rom: 6.3.

Pergit. *Ad hæc cùm Spiritus S. loquatur, audiat, & audita annunciet, quomodo non erit perſona? Quis enim audita referre poſſit, niſi perſona? Affert quidem exemplum Moſcorovius de Spiritu hominis, qui intelligit, loquitur, audit, annunciat, neque tamen eſt perſona. Verùm non advertit, ſpiritum in Deo non eße partem ſubſtantiæ divinæ, ut eſt ſpiritus hominis, ſed totam & perfectam Dei ſubſtantiam* &c. At Smigleci, mutas terminos, ut ajunt. Quæſtio eſt, an ex iis operationibus, quòd Spiritus S. loquatur, audiat, annũciet, poſſit neceſſariò colligi eſſe perſona. Ego inſto, non poſſe; & operationes ſpiritus hominis, ſimiles oppono. Smiglecius excipit, alia eſt natura ſpiritus hominis, alia Dei. At Smigleci, non de natura hujus & illius ſpiritus diſputatur, ſed an ejusmodi operationes ſufficientes ſint, ad demonſtrandum ſpiritum ſanctum eſſe perſonam. Dum tu ad naturam ſpirituum decurris, tenebras incauto lectori ſepiæ inſtar offundis; prudenti & cauto, ex illis operationibus doceri non poſſe ſufficienter, ſpiritum ſanctum eſſe perſonam, hoc facto ipſe admittis. Porrò ſpiritum ſanctum eſſe totam & perfectam Dei ſubſtantiam, qua ratione doces? An aſſerere rem tantam, ſatis eſt Smiglecio? Certè ſpiritum ſanctum a patre procedere, teſtatur ſervator. At ſubſtantiam Dei totam & perfectam, a nullo procedere hinc manifeſtum eſt, quòd illa nullum prorſus principium agnoſcat. Qua ratione igitur ſpiritum ſanctum audes aſſerere, totam & perfectam Dei ſubſtantiam?

Ex operationib⁹ Spiritus S. Spiritum S eſſe perſonam non poſſe, doceri.

Spiritum S. eſſe totam Dei eſſentiam, incautè dici.

Sed recitat inſtantiam meã. *At inſtat Moſcorovius, Scriptura dicitur tantò ante denunciare, providere, vivificare, &c. neque tamen eſt perſona.* Et excipit, *quid hoc ad rem? Scripturam enim annunciare, providere, non*

re, non est verè ista facere, sed est esse signum & notam eorum quæ nobis a Deo providentur. At Spiritus sanctus verè audit, verè loquitur & annunciat, verè intelligit, non est verò tantùm signum eorum, &c. *Verè autem intelligere Spiritum sanctum fatetur ipse Paulus, cùm illum comparat cum spiritu hominis, quòd sicut spiritus omnia scit, quæ sunt in homine, ita Spiritus Dei omnia scit quæ sunt in Deo, & scrutatur etiam profunda Dei.* Ex operationibus quibusdam, quæ personarum sunt, vos spiritum sanctum colligitis esse personam. Nos operationes personarum, rebus, in literis divinis, attribui frequentissimè opponimus, atq; ea re collectionem vestram enervamus. Instantia simillima rem enervare, est nihil ad rem afferre?

At quod Smiglecius ulterius excipit: Non verè scripturam annunciare &c. Verè Spiritum sanctum audire &c. Propriè vel impropriè dicendum potius fuerat. Semper enim quocumque sensu, verè scriptura, uti spiritus sanctus agit. At Smiglecius hoc ipso quod controversum est limitat & excipit, spiritum sanctum hæc, ut personam agere. Nec verò locus Pauli, quicquam Smiglecium juvat. Docet quidem Paulus, quemadmodum Spiritus hominis, qui in ipso, ea quæ hominis sunt novit, ita & quæ Dei sunt, neminem novisse nisi spiritum Dei. At quid hoc, ad demonstrandum spiritum sanctum esse personam? Nam etiamsi verè hoc sciat quod in Deo est, tamen ex eo solo eum non effici personam hinc est manifestum, quòd etiam spiritui hominis eadem attribuat Paulus, quem constat non esse personam.

Pergit. *Adhæc annunciare intellecta, non est nisi personæ, ut dictum est. Quis enim umquam dixerit, scripturam audire aliquid, aut audita nunciare?* At enim cùm similia dicantur de scriptura, quæ tamen res sit non persona, non potest inde Smiglecius concludere spiritum S. esse personam. Porrò quod Scriptura prænunciet, etiam prævisa, quod plus est quàm audita, divinæ litteræ tradunt. Hinc apparet, labi D. Doctorem, dum neminem id dicturum, scripturam audita annunciare, asseverat. Gal: 3. 8.

Collectiones deinde suas persequitur Smiglecius. *Colligo secundò*, inquit, *falsum omnino esse quod ait Moscorovius, Apostolos fidem Trinitatis non docuisse. Etenim si fides Trinitatis in forma baptismi a Christo instituta est, uti demonstratum est, & mandatum Apostolis, ut ea forma baptisarent omnes, qui negari potest, eos fidem trinitatis non docuisse, nisi Christi mandato eos non paruisse existimandum sit.* In forma quidem baptismi a Christo instituti, fieri mentionē nominis Patris, Filii, spiritus sancti non diffiteor; at trinitas Smiglecii est, hos tres unum esse De-

tum, & hos tres personas numero distinctas, in una divinitate existere. Ergo quemadmodum de Deo patre, filio & spiritu sancto docuêre Apostoli, quippe quod illis id a Domino expressè mandatum fuisset; ita hos tres esse, in una divinitate, personas numero distinctas, & esse unum Deum, numquam docuêre; quia numquam id mandatum expressè, ac ne implicitè quidem a Christo acceperant. Quapropter falsa est Smiglecii collectio, Apostolos trinitatem talem docuisse; falsum item, Neminem nisi in nomen Patris, Filii, & spiritus sancti baptisatum (intellige aquâ, ex sensu Smiglecii) in cœtum Christianorum admisisse, cùm alia divina testimonia, tum illa Ephesi a Paulo rebaptisatorum historia testatur; quæ in nomine Domini Iesu rebaptisatos in cœtum admissos recenset.

Tres personas in una divinitatis essentia, Apostolos nunquam docuisse.

Act. 19. 5.

Ac vide, Smiglecius Iesuita ait, trinitatem suam in divinis litteris contineri, negat id Wuiekus alter Iesuita, negat Herbestus itidem Iesuita, negat Cardinalis Hosius, quemadmodum suis locis ostendimus. Vt igitur illis convenit?

Iesuitæ quidam Trinitatem in literis sacris docere negaverunt, quod asserit Smiglecius.

Deinde ait, me negare istam baptismi formam ad aquæ baptismum referri, & minitatur se ostensurum, falsò ac temere id a me negari. Ad has igitur minas inferius nos parabimus. Interim eâ formâ Smiglecii trinitatem non contineri, ac proinde ab Apostolis non esse doctam, quemadmodum Smiglecius contendit, ex eadem forma baptismi, & ex Apostolicæ doctrinæ corpore demonstramus.

Pergit. *At inquit Moscorovius, Skargam asseruisse, Apostolos dogma trinitatis, propter difficultatem ipsius, reticere solitos. Verùm neque Skargam neq; nos, intelligit Moscorovius. Nunquam enim Skarga negat Apostolos ea docuisse, ex quibus necessariò consequatur, Deum unum esse in natura, trinum in personis. Ex hoc enim genere est forma baptismi; quam & Christus & Apostoli prædicarunt. Quod autem Skarga asserit, est non statim expressè & iis ipsis verbis trinitatem docere cepisse.* hæc Smiglecius. At Smiglecius in appendice asseruerat, Apostolos primò & ante omnia trinitatem, id est Deum in personis trinum docuisse. Qua in re ut inconstantiam Iesuiticæ doctrinæ ostenderem, produxi Skargæ verba, quæ prorsus oppositum docerent. Smiglecius occasione rei prætermissa, ut hoc illi est ubiq; familiare, nunc scribit me neq; Skargam, neque se intelligere. Nunquam enim, ait, Skarga negat Apostolos ea docuisse, ex quibus necessariò consequatur, Deum esse unum in naturâ, trinum in personis. Vides quàm Smiglecius non directè respondeat: Quæstio est, an asseruerit Skarga, Apostolos initio trinitatis dogma reticere solitos fuisse, quod ego verbis Skargæ expressis doceo.

ceo. Smiglecius respondet, Skargam numquam negare Apostolos docuisse, ex quibus necessariò consequatur, Deum esse unum in natura, trinum in personis. At hoc ego numquam de Skarga scripsi, illud verò constantissimè asserui, & verbis illius expressis docui. Apertissime enim ait, Apostolos trinitatis dogma ab initio reticere solitos fuisse; quod duabus concionibus, illa prima Petri Act: 2. altera Pauli Act: 13. probat, & rationem affert, ne deitate Christi patefacta, multitudinem deorũ introducere viderentur. Quare si Skarga apertissimè, Apostolos trinitatis dogma reticere initio fuisse solitos fatetur, si illud idem approbat, etiam consilii causa explicata; patet Smiglecio, qui asseruit primò & ante omnia Apostolos, Deum unum in personis trinum docuisse, cum Skarga suo collega non convenire, immo Smiglecium Skargæ prorsus contradicere. Quod cùm refellere non posset Smiglecius, & agnoscere pudore prohiberetur, nec sciret quid regereret, regessit, nimirum me illos non intelligere, quos tam apertè pugnare secum Madianitarum more, ostendi. Immo assero ex concionibus a Skarga allatis, quibus ostendit Apostolos dogma trinitatis initio non docuisse, dogma trinitatis ruere. Nam in illis apertissima fit mentio unius Dei, qui sit universi conditor, & Iesu Nazareni, qui in crucem actus a Iudæis erat, quem certè hominem esse constat, & Dominum & Christum factum a Deo, & mundi judicem, qui summus Christi honor est, constitutum. Quibus positis, actum est de Trinitate Smigleciana. Nam si Iesus factus est Dominus, & ad summum honorem a Deo evectus est; apparet nulla ratione doceri posse, esse illum unum Deum: cùm neutrum illorum, in illum unum Deum ullo modo cadere possit. Quæ etiam addit, formam illam baptismi ex eo esse genere, quod trinitatem Smiglecii doceat, aut id ex quo necessariò illa cõsequatur, falsum esse docuimus superiùs. Quod verò ait, eandem prædicatam esse a Christo, & ab Apostolis, qua ratione probat? Sed D. Doctori asserere quidvis, satis est. Quæ subjicit de Skargę sententia, cùm ostenderimus quæ ipsius sententia sit, immorari in re nullius momenti, esset abuti lectoris æquitate.

Smiglecio Skargæ Iesuitæ, contradicere docetur.

Pergit; *Ait præterea Moscorovius, Apostolos, Patrem, Filium & spiritum sanctum, & nominibus & descriptionibus discriminavisse, ut quæ de uno dicuntur, dici de alio non possint* &c. Et excipit: *Verùm Moscorovius advertere non vult: Patrem, Filium, & spiritum sanctum, ex doctrina Apostolorum, in uno esse diversos, in alio non esse: esse diversos in personis, non esse diversos in naturâ. Cùm enim ea Patri, Filio, & spiritui sancto tribuuntur, quæ non possunt nisi uni soli Deo tribui, indicatur tres illos esse,*

unum verum Deum: Cùm verò iidem tres esse demonstrantur, consequens est, eos non naturâ, sed in proprietatibus personalibus differre. Quare patris, Filii, & Spiritus sancti nomina & tria sunt, & unum, tria, si personales proprietates spectes, quæ etiam Patris, Filii, & spiritus sancti nomine designantur: Vnum verò, si ad naturam referas. Vnum enim est Dei nomen Patri, Filio, & spiritui sancto commune, neq; hujus rei alia a nobis probatio hoc loco requirenda est, quàm illa quæ ex forma baptismi sumitur. hæc ille. Scripserat Smiglecius, Apostolos cùm dicerent in nomine, nomen Dei unius intellexisse: cùm verò Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum nominarent, tres personas expressisse, & sic tres personas unius Deitatis, fideles ut crederent, docuisse.

Exceperam, hæc a D. Doctore asseri nudè, non probari; deinde ex Apostolica doctrina diversum apparere. Nam Patris, Filii, & spiritus sancti nomina naturâ, significatione, proprietate, ab Apostolis discerni; descriptionibus verò ad eum modum eosdem dislimitatos, ut quæ de uno dicantur, de alio dici nequaquam ulla ratione possint.

Excipit Smiglecius, Patrem, Filium, Spiritum sanctum esse diversos in personis, non esse diversos in natura. At ego hoc ipsum his descriptionibus oppugno. Quid igitur Smiglecius eo se tuetur, quòd descriptiones a me allatæ, e manibus illi excutiunt? Descriptionum a me allatarum, hæc vis est. Non possunt ullo modo, ullo respectu dici de patre, quæ dicuntur de filio, & spiritu sancto. Ergo filius & spiritus sanctus non sunt naturâ idem Deus, qui pater. Smiglecius respondet in personis diversos esse: At ego naturâ diversos ostendo: tu mihi de personis respondes? Etsi autem persona sit substantia prima, tamen ut effugiendi adversario omnem occasionem præcidam, ita disputo, ac si hæc essent diversa.

Pater, Filius, & Spiritus S. ut nominibus ita descriptionib: differunt ac proinde natura.

Quod verò affert, ea tribui filio, & spiritui sancto, quæ non tribuantur nisi uni soli Deo, & hoc indicari tres illos unum esse Deum, collectionis istius nulla vis est; nec enim satis est ad constituendam Dei naturam, ut ea tribuantur alicui, quæ non nisi soli Deo tribuuntur; sed oportet etiam illi ea omnia tribui, quæ Deo soli tribuuntur, & tamquam causæ omnium primæ tribui. Nam multa sunt, quæ divinæ literæ non nisi soli Deo tribuunt, & tamen in iisdem etiam aliis tributa leguntur. Servatorem esse, non nisi soli Deo divinæ litteræ tribuunt, & tamen servatores Israelitis excitatos sæpius in divinis legimus. Ita Deus hoc tanquam proprium usurpat, quòd ex Ægypto eduxerit Israël; & tamen divinæ litteræ, hoc idem & Angelo & Mosi adscribunt. Cujus quidem rei innumera in divinis extant exempla.

Quid ad constituendam Dei naturâ requiratur.

2. Esdr: 9. 27.

Exod: 32. 7. Act: 7. 35.

Ex qui-

Ex quibus omnibus apparet, non satis esse tribui quædam quibusdam, quæ soli Deo tribuantur, nisi etiam tribuantur omnia prorsus quæ Dei sunt, & tamquam causæ primæ tribuantur. Quæ in omnibus quæ tribuuntur filio Dei, uti & spiritui sancto, non reperies.

Nihil attributum filio divinius & sublimius in divinis litteris deprehendes, quàm quod pedibus ejus omnia, excepto Deo, sint subjecta, eoq; & Christus Dei sit, & populi Dei servator. Ea autem tribui illi, non tanquam causæ primæ, hinc apparet, quod apertissimè litteræ divinæ testentur, illa filio a Deo subjecta esse. Quid summè divinum Christo tribuatur.

Atque cum ea, quæ Dei sunt, illis, per quos Deus ea executus est, attributa fuisse, propter hoc ipsum legamus; cùm idem Deus per filium & spiritum suum omnes partes salutis nostræ peragat, minimè certè novum videri debet, ea quæ Dei sunt solius, illis attribui; propterea verò eos Deum illum unum esse, hinc manifestum est, non consequi, quòd a Deo in salutis negotio tamquam a causa prima pendeant. Nam a Deo omnem operandi vim habent, ipse verò Deus a nemine, ulla ex parte vel minima, quò ad naturæ & motus principium dependet. Porrò dum eos naturâ unum vult, & proprietatibus personalibus differre Smiglecius, ex doctrina Magistrorum suorum, non videt se evertere, quod ponere volebat. Etenim si proprietates essentiales, sunt essentia divina, ut ipsi magistri Smiglecii docent: & proprietatibus personalibus differre Patrem, Filium, & spiritum sanctum Smiglecius agnoscat; necessariò infertur ex eorum doctrina, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, naturâ differre. Quod verò aliam probationem ejus rei a se requiri hoc loco nonvult, satis demonstrat quam firmis probationibus causa Smiglecii nitatur. Denique quòd Christum naturâ humanâ distingui a Patre, & spiritu sancto scribit, licèt unum eosdem naturâ agnoscat, pugnantia se scribere non animadvertit. Nam si naturam humanam assumpsit divina, & humanâ Christum a Patre & spiritu sancto distingui fatetur Smiglecius, etiam naturâ divinâ distingui a Patre & spiritu sancto fateatur necesse est. Nam is qui naturam humanam assumpsit, & qui naturam humanam non assumpsit, naturâ prorsus differant necesse est. Et enim contradicentium, alteram tantùm veram esse necesse est. Porrò tres esse colendos, ut nusquam doctrina tradit Apostolica, ita nos qui illi adhæremus, nusquam id asserimus. Quare nihil est quod hoc nobis opponat Smiglecius. At etiam id copiosè tractatum a se contra Smalcium asserit, verùm legat idem, quæ Smalcius ad idem argumentum, & alia sophismata illius penitus evertenda accuratè & eruditè Qui proprietatib: essentialibus differunt, essentia differre.

differuit, & expendat; ac facillimè deprehendet, nihil esse, cur a se copiosè hoc argumentum tractatum glorietur.

At pergit. *At*, inquit, *Moscorovius, si Apostoli fidem trinitatis docuissent, eam scriptis suis consignaßent, siquidem multò leviora consignarint* &c. & respondet, hanc argumentationem nullius prorsus esse roboris. *Primùm quòd scripta Apostolica, non eo fine & consilio prodierint, ut omnem fidem Christianam, & singulas ipsius partes comprehenderent, sed ut iis occurrentibus, tunc difficultatibus & necessitatibus obviam iretur. Singulæ enim epistolæ, ad singulares aliquas difficultates tollēdas conscriptæ sunt, Evangelium autem ad vitæ historiam comprehendendam. Non igitur necessarium est, ut quicquid ad fidem spectat, in aliquo scriptorum Apostolicorum contineatur. neque oppositum, adversarii, ullo solido argumento hucusque probare potuerunt.* hæc ille. At Smiglecius non integrè argumentum meum proposuit. ea enim omisit, in quibus vis illius tota est: nempe, si Apostoli in iis, quæ non magni momenti fuêre, penè fuêre nimii; rem adeò, ut volunt adversarii, salutarem, toties invitante occasione reticuissent? ac postmodum occasiones, quas ejus rei Apostoli habuerint, ostendo. Smiglecius respōdet; nullum inesse argumentationi robur; eo quòd scripta Apostolica, non eo consilio & fine prodierint, ut omnem fidem Christianam, & singulas ejus partes comprehenderent, sed ut iis, occurentibus tunc difficultatibus & necessitatibus obviam iretur. Dato, non concesso, quod opponit Smiglecius: tamen id argumenti mei robur non attingit. Necessitatem enim istius dogmatis scriptis explicandi Apostolos habuisse, cùm tot occasiones illius explicandi in scriptis eorum appareant, urgeo ego; & hinc colligo, cùm id non explicarint, Trinitatis Smiglecianæ dogma Apostolos numquam docuisse. Antecedens exceptio Smiglecii admittit, dum ad necessitates expediendas quæ subinde emergebant, scripta Apostolica prodiisse asserit. Admittat igitur consequens necesse est.

Verùm neq; hoc antecedens, seu exceptio Smiglecii quicquam roboris habet. Id si rationes, ex quibus eam conficit, expendas facilimè apparebit. Eæ igitur hæ sunt: Singulæ Epistolæ Apostolicæ, ait, ad singulares aliquas difficultates tollendas scriptæ sunt; Evangelia ad vitæ Iesu Christi historiam comprehendendam. Non igitur eo consilio scripta Apostolica prodierunt, ut omnem fidem Christianam, & singulas ejus partes comprehenderent. At antecedentis utraque pars insufficiens est. Nam præter difficultates occurentes, ex professo sæpe tractant Apostoli, materias ad fidem omnem Christianam comprehen-

Rationes Smiglecii.

Earundem refutatio.

prehendendam pertinentes; quemadmodum ex Epistola ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, ad Colossenses planum est; in quibus Apostolus summam fidei Christianæ, & vim, & quicquid ad eam pertinet, divinè docet. Evangelia verò conscripta quidem sunt, ad vitam Iesu explicandam, sed in ea res duæ potissimum, sunt ab iis comprehensæ; nimirum doctrina Domini Iesu, & facta ipsius, ac opera illa admiranda, quibus doctrinam suam approbavit. Ergò cum in historia vitæ Christi, hæc fuerint describenda; quis non videt, summam necessitatem scriptoribus divinis impositam fuisse, ut Christianam fidem & quicquid ad eam pertinet, explicarent? alioquin, si alteram partem historiæ essentialem, aut aliquid, quod ad illam integrandam pertinebat, omisissent, nequaquam integram & completam historiam nobis reliquissent. neque de omnibus, quæ Iesus cæpisset facere & docere narrationē a se factam affirmare jurè potuissent, quod tamē Lucas scriptor divinus de se Act: 1. v: 1. apertissimè testatur. Quod si ea, quæ ad approbandum Christi doctrinam pertinebant, qualia erant miranda Christi opera, ita sufficienter ab illis in historia comprehensa sunt, quantum ad fidem doctrinæ Christi faciendum omnino satis essent, certè multò sufficientiùs ipsam doctrinam, quæ fidei causa informatrix est, eos comprehendisse scriptis necesse est; alioquin plus in re minus ad salutem necessaria, quàm in re prorsus ad salutem necessaria elaborassent. Nec enim in cognitione Christi miraculorum, sed in cognitione Patris & Christi vita æterna sita est. Ex hac igitur utriusque partis antecedentis Smiglecianī excussione planum est, consequens Smiglecianum ex illo antecedente, non effici.

Evangelicæ historiæ summa.

Ioan: 20. 31.

Christi doctrina, historia Evangelica sufficienter comprehensa est.

Ioan: 17. 3.

At quod subjicit, nullo solido argumento oppositum adversarios docuisse, multum fallitur. Etenim, ut alia taceam, promissa Dni Iesu, & illorum approbationem sufficientissimè ab Apostolis descripta esse, in confesso est. Ergo & præcepta ejusdem, quibus servandis promissa obtinentur, sufficientissimè consignarint, necesse est. Etenim cùm & proposuerint & approbarint idcirco tam accuratè promissa, ut illorum accenso in animis nostris desiderio, nos ad servanda præcepta pellicerent, nisi sufficienter eadem præcepta tradidissent, finem sibi præfixum assecuti non fuissent: quod certè in divinos scriptores, qui Magistrum Spiritum S. habuêre, cadere nullo pacto potuit.

Sed instat Smiglecius: *Deinde Paulus Heb. 5. v 11. multa se habere, de Christi sacrificio dicenda, & quidem grandia, & ininterpretabilia, quæ tamen ob imbecillitatem audientium, neque tum scripsit, neque in ulla epi-*

stola

stola alia comprehendit. Si igitur quædam valde difficilia Apostoli studio reticere volebant, ob eorum ad quos scribebant imbecillitatem, quis non videt, si de altissimo trinitatis mysterio scriptum nihil reliquissent, eos jure id facere potuisse. Quare cùm Moscorovius ait; Si de levioribus rebus tractarunt in suis scriptis Apostoli, debuisse quoque de trinitate tractasse: responsio facilis est. De nulla enim re tractarunt, nisi ex occasione quadam & ortis difficultatibus, sive leviora essent sive graviora? Immo nec de gravioribus quibusdam tractare voluerunt, propter imbecillitatem eorum ad quos scribebant. hæc ille. At fallax est, quod ex loco ad Hebræos Smiglecius deducit. Etenim in loco citato nihil amplius inest, quàm, multum esse de Christo sacerdote sermonem, & difficilem interpretatu scriptori divino. Ex quibus verbis, multa illi esse dicenda de tam sublimi mysterio, colligi potest; at in eadem, vel in alia Epistola non esse dicta, fallaciter colligitur. Nam conclusio est latior antecedente. Immo ex sequentibus, ejusdem epistolæ apparet oppositum. Sic enim caput sextum exorditur idem auctor divinus: Ideò intermittentes initii Christi sermonem, ad perfectionem feramur &c. atque adeò per totam epistolam, de sacerdotio Christi arcanum, divinissimè persequitur. Ergo fallò asserit Smiglecius, de sacerdotio Christi, ea quæ dicenda fuerant Apostolum, in eadem Epistola & alibi, non explicavisse.

Captio Smiglecii refutata.

Vnde quod hinc colligit: *Si quædam propter auditorum infirmitatem reticuerunt, quis non videt, si de Trinitatis mysterio nihil scriptum reliquissent, jure id facere potuisse*, apparet captiosè ab illo colligi, quemadmodum ostendimus. Præterea etiamsi Smiglecii deductio prior admitteretur, consequens tamen posterioris antecedentis non consisteret. Etenim reliqua, etiam gravissima, poterant ab Apostolis prætermitti, quòd non essent ad salutem necessaria: at dogma trinitatis Smiglecianæ, cùm tam salutare sit, ut volunt adversarii, nequaquam premere silentio debebant ii, qui saluti hominum consultum in omnem posteritatis memoriam cupiebant, & ad eam rem divinitus ordinati fuerant, opportunitate sæpius sollicitati.

Cur dogma Trinitatis tradendũ fuisset Apostolis, si ejus authores extitissent.

At omissis, quæ eadem repetit, & quæ superiùs suo loco diluimus, instat: *Quamquam neque hoc in scriptis Apostolicis desiderari potest. ea enim de Patre, Filio, & spiritu sancto literis consignarunt, quibus & una eorum divinitas, & personarum discretio, necessariò concludi debet, ut alibi a nostris de divinitate filii, & spiritus sancti ostensum est.* At verissimum est, in scriptis Apostolicis doctrinam de Patre, Filio, & Spiritu sancto traditam, ex quibus potest concludi, esse Patrem, Filium, & Spi-

& Spiritum sanctum; at filium & spiritum sanctum esse unum illum, qui pater est, Deum; & esse in una essentia divina personas, nullo modo; neque id umquam ex litteris divinis adversarii docuerunt, neque in æternum docebunt. Imò ex litteris divinis apertissimè colligitur, nec filium, nec spiritum sanctum, illum unum Deum esse, nec in Dei essentia ullas esse numero distinctas personas, quemadmodum nostri toties evidentissimè demonstrarunt.

Quid de Patre, Filio, & Spiritu S. divinis literis traditum sit.

At excipit, meam conjecturam esse frivolam, cum ajo, Apostolum toties gratiam & pacem fidelibus precari a Deo Patre, & Christo; at de tertia persona altum apud eundem silētium. Similiter dum obtestatur coram Deo & Christo, tacita Spiritus sancti persona &c. frivolam ait & ineptā conjecturam. *Nam neque ulla necessitas est*, inquit, *ut omnes divinæ personæ recensentur; & specialis ratio postulare poterat, ut aliæ personæ nominarentur, quia scilicet, de illarum tunc potestate & auctoritate ageretur; quomodo Patris & Christi auctoritas præcipuè urgeretur in scripturis.* At Smiglecius vim mei argumenti dissimulat, nec integrè mea recitat. Vis mei argumenti est, Patrem & Christum passim invocat Apostolus, nusquam Spiritum sanctum. Ergo apparet, Spiritum sanctum in divinis non esse personam. Respondet Smiglecius, non esse necesse, ut omnes divinæ personæ semper recenseantur, & specialem rationem requiri, ut hæ tantùm recenseantur: At publicæ invocationis actus, ut eæ personæ implorentur ac proinde nominentur, quæ gratiam & pacem vi sua propriè credentibus possint conferre, prorsus requirit. Quare si Spiritus sanctus talis esset, nullo modo omitti ab Apostolo potuisset: cùm semper omissus sit, patet spiritum sanctum non esse personam, quæ dona spiritualia propriè vi sua, uti persona conferat. Videat igitur cordatus lector, an jure Smiglecius hanc argumentationem meam conjecturam frivolam, & ineptam vocet.

Publicæ invocationis actus quid requirat.

At verò cur ad locum Apostoli, in quo Timotheum obtestatur coram Deo & D. Iesu Christo, & electis angelis, conticuit? Etenim hunc ego ursi; Si in divinis Spiritus sanctus esset persona, necessariò præmitti angelis debuit. Non est præmissus. Non igitur est persona. Sed faciliùs hæc erat frivola & inepta vocare, quàm solida responsione eadem repellere.

Ratio a Smiglecio prætermissa.

Sed instat. *Denique sicut in plerisq; locis spiritus persona tacetur, ita in aliis non tacetur.* Sic 2. *Cor:* 3. v. 13. *Paulus ait: Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio spiritus sancti, sit cum omnibus vobis.* At nusquam in divinis literis, quòd spiritus sanctus sit

persona docetur, nec locus a Smiglecio citatus quicquam aliud ostendit, quàm spiritum sanctum esse: at esse personam in divinitate tertiam non demonstrat. Et enim κοινωνία, vox hæc apud Paulum participationem notat; & cùm passivè non activè ut alibi usurpetur, potius hinc infertur spiritum S. non esse personam. Res enim communicantur; communicant personæ propriè loquendo.

1. Cor: 10. 16.

Res communicatę personas communicarę.

Ex loco 1. Cor: 12. v. 4. Deum, Christum, & Spiritum sanctum docet esse largitorem omnium gratiarum. *Divisiones*, inquit, *gratiarum sunt, idem autem spiritus: & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*, & sic argumentatur: *Si Paulus tam clarè docet omnes gratias proficisci non a solo Deo, nec a solo Domino, sed etiam a spiritu sancto, certè easdem gratias potuit precari, non a solo Deo & Christo, sed etiam a spiritu sancto.* hæc ille. At nego his a Paulo doceri, spiritum sanctum largitorem gratiarum; nec enim hoc verbis Apostoli inest; nego item deduci necessariò. Etenim illa verba, idem autem spiritus, possunt ita accipi, ac si scriptum extaret: Divisiones gratiarum sunt, eadem verò divina virtus. Nam si in locum, Idem autem spiritus, substituas, eadem autem vis divina, idem prorsus sensus est futurus. Debere autem ad eum modum accipi verba, quæ ad finem testimonii citati posuit Apostolus, arguunt; *At idem est Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Nam si idem Deus est, qui operatur omnia in omnibus, apparet igitur ipsum solum omnium operationum primam causam esse; & omnium illarum gratiarum & auctorem & largitorem primum. Vnde spiritum illum, vim esse divinam, per quam Deus illa operetur & gratias conferat, esse necesse est. Itaque perspicuum est, nec spiritum illarum gratiarum largitorem esse ab Apostolo doceri, quod asserit Smiglecius; ac ne si doceretur quidem, a spiritu sancto precari illas gratias fidelibus Apostolum propriè potuisse. Etenim spiritus sanctus & Dei Spiritus est, & res ejusmodi, quam fidelibus sæpe Apostolus a Deo precatur. Quî igitur potuisset quicquam a spiritu ipso precari.

Apostolum gratias seu dona, a Spiritu S. nec precatum esse, neque precari potuisse.

At affert alium locum; *Paulus membra nostra templum spiritus sancti agnoscit, & glorificare atque portare Deum in corpore nostro jubet* 1. Cor: 6. v. 19. (posteriora verba, v. 20. habentur) *an non spiritum sanctum verum esse Deum (ut pote qui templum habeat, & tamquam Deus glorificari in corporibus nostris jubetur) agnoscit?* hæc ille. At expendamus eam ratiocinationem; Qui templum habet, & tamquam Deus glorificari in corpore jubetur, is est Deus ille unus. Spiritus sanctus tem-

ctus templum habet, & tamquam Deus glorificari in corpore jubetur. Ergo.

Majoris istius solutionem partis utriusq; locus citatus suppeditat, si integrè afferatur. Sic igitur habet. *An nescitis, quoniam corpus vestrum templum qui in vobis Spiritus sancti, quem habetis a Deo, & non estis vestri. empti enim estis pretio. Glorificate igitur Deum in corpore vestro & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Hîc igitur apertissimè Paulus, ejus spiritus quem credentes a Deo habeant, templum esse illorum corpora testatur. At hunc spiritum, quem fideles a Deo habent, donum esse manifestissimum est. Non igitur personam. Cùm verò Apostolus id donum, templum habere asserat, figuratè hæc dici, quis non videt? Deinde verba, Glorificare Deum in corpore vestro, &c. nihil est quod suadeat, ad spiritum S. referri. Non antecedentia, non sequentia, non litterarum divinarum usus, non rei series, nec Apostoli scopus: Contra ad Deum referri omnia suadent. Etenim Paulus inter alias rationes, cur Deum glorificare credentes in corpore suo debeant, has affert: unam, quæ hæc verba præcedit; nempe, quòd sint empti pretio; quod certè spiritui nusquam tribuunt litteræ divinæ. alteram quæ subsequitur, quòd sint Dei; quod ad spiritum non referri vel hinc constat, quod ipse etiam Spiritus sanctus, Dei sit spiritus. Ex quibus rationibus pulcherrimè consequitur admonitio, seu præceptum Apostoli: Ergo glorificate Deum in corpore vestro.

1. Cor: 6. 19. & 20.

Græca sic habent ut apposuimus.

Pauli in loco citato scopus.

Ad locum, 1. Cor: 2. v. 10. respondimus paulò ante, istamque collationem, quam Apostolus inter Dei & spiritum hominis instituit, nihil Smiglecium juvare, quemadmodum & ea, quæ hîc repetit, ad asserendam spiritus sancti personam ostendimus.

Nec ideo Spiritum sanctum consubstantialem Deo eo sensu, quo volunt adversarii, ex eo quòd sit in Deo, & sciat quæ Dei sunt, umquam deducent nisi attributa essentialia, eodem sensu consubstantialia Deo statuant.

Pergit. *Tandem ostendit Moscorovius, Christianos ab Apostolis fidem de Trinitate numquam edoctos esse. Quid ita? quia, inquit, ipsimet Apostoli eam in scriptis suis non docuerunt. At jam falsum hoc ostendimus. Docuerunt enim, uti & nos nunc ex iisdem scriptis cum Ecclesia catholica docemus.* Vide lector quid agat Smiglecius; eadem prorsus paulo ante a se producta repetit, & tamquam bis a me dicta recitat; & falsum esse Apostolos non docuisse Trinitatis fidem a se ostensum gloriatur. At quàm hoc vanum sit, ex iis quæ paulo antè disseruimus, manifestum est. Nec verò Smiglecius id umquam ex scriptis Apostolicis, neque

Smiglecii tautologia.

ipsius Ecclesia, ulla æqua & legitima ratione efficient, quæ naturâ Deum, Patrem tantum prædicant. Cùm verò toties eadem repetat Smiglecius, agnosce lector candide & erudite, an non chartis quacumque ratione complendis, Smiglecius operam impendat.

Deinde ait, *etiamsi in scriptis hanc doctrinam non tradidissent, tamen prædicatione tradiderunt.* At unde hoc probat Smiglecius ? Imo cum ex litteris eorum colligatur oppositum, apparet eos numquam Trinitatem prædicasse.

Argumentationis Smiglecianæ vanitas.

Sanè, inquit, *vehemens argumentum est, quod in primo de erroribus Arianorum libro, cap.* 1. *ursimus, cum constet ad Nicæni Concilii tempora totum mundum fidem de Trinitate retinuisse, eaque de causa Ario, qui id negabat, anathema dixisse, si ea fides ab Apostolis profecta non est, debet assignari aliquis alius post Apostolorum tempora auctor, qui eam in orbem Christianorum invexerit.* At fidem Trinitatis ad tempora Concilii Nicæni mundum totum retinuisse, nos Patrum, qui Concilium Nicænum antecesserunt, testimoniis in appendice productis, falsissimum ostendimus. Deinde turbis ob symbolum Nicænum exortis; Nam si fides Nicæno symbolo explicata talis fuisset, quam mundus totus tenuisset, numquam illæ turbæ ob illam fidem, exarsissent. Cùm exarserint, & vehementissimæ exarserint, adeò ut novem diversa symbola, a Nicæno plurimum dissidentia, in diversis conciliis enata brevi tempore fuerint; apparet eam fidem, quam Nicænum symbolum continet, numquam antea totum mundum tenuisse; postremò etiam Bellarmini Iesuitæ antesignani vestri authoritate & testimonio, qui asserit Ecclesiam, per quam Patres Nicænos notat, vocem novam ὁμοούσιος adversus hæreticos inventisse. Falsum etiam docuimus, Ario anathema dictum, quod fidem Trinitatis repudiasset, ipsius decreti in Arium lati verbis & sententiâ. Quæ cum ante oculos proposita haberet Smiglecius, est quod mireris, istum hominem, talia scribere, nihil vereri. Denique in isto Nicæno symbolo, fides trinitatis non est ita tradita, ut e verbis illius videre est, quemadmodum ab Athanasio (si tamen illud symbolum Athanasii est) demum est consarcinata.

Infirmitas collectionis Smiglecii

At quod in eo robur argumenti sui ponit, eam fidem ab Apostolis profectam, quòd illius author non possit assignari, quo in orbem Christianum invecta sit, nihil agit. Nam potuit auctor assignari, & libri isti in illis bellis, quæ Orientem & Occidentē per tot annos exercuerant & penè exterminaverāt; & in illa crassa barbarie, quæ ante nostram & Patrum nostrorum memoriam passim obtinuerat, cum bonæ litteræ sepultæ prorsus jacerent, interiisse. Deinde poterant tales ho-

les hominibus dormientibus opiniones in ecclesiam irrepere, quemadmodum alia, quæ vos in Ecclesiis vestris, & Græci in certo auctore multa retinetis. Tum verò qua fronte hæc ad Apostolos referri possunt, quæ doctrinæ Apostolicæ scriptis consignatæ repugnent? Atq; ut quale sit, ipsius quod tanti facit argumentum, appareat. Paulus nonné invehitur in errores Ecclesiarum Corinthianæ & Galaticæ; at cur authores non nominat? Divus Ioannes nonné multos antichristos exisse in mundum scribit. At cur nomina eorum non edit? Satis habuit, errores eorum patefeciſſe. Mysterium iniquitatis nonné operatum esse suo tempore scripsit Apostolus. At cur authores reticet? Ergo error non erit error, nisi de erroris authore constet? Deniq; an non assignatur author confessionis, quam de Trinitate sequimini? Semper enim quoties vobis ea mysteria pandenda sunt, ad illius authores, Concilia nempe illa, in quibus procusa est, & ad ipsum recurritis Athanasium.

At quod addit Smiglecius, leviora annotata esse, ab historicis, ut rem graviorem non annotassent: Nec hoc est necessarium, & tamen annotaverunt. Etenim cùm innumera certamina ob fidem Nicænam exorta tot symbola, & inter se, & a Nicæno discrepantia peperissent; istos tandem, qui potentiam principum a suis partibus habuere, obtinuisse & superiores evasisse, perscripsêre. Legantur ecclesiasticæ historiæ, ex iis res patebit. Atque ad eum modum, ad vestram confessionem homines vis adegit, & homines in ea, in hanc horam continuit, non veritas allexit, & sui specie detinuit. Et tamen non defuere, qui, etiamsi excommunicationes & exilia, ante oculos proposita haberent, illis posthabitis confessioni vestræ contradicerent, eamque scriptis & ore oppugnarent. Ea enim species & forma veri est, ut vita ipsa, & omnibus quæ mundus expetenda habet, sit animo probo amabilior.

Qui in certaminib: illis primis, propter fidē exortis, primas obtinuerunt.

Veritatis species, ejusque vis.

Sed pergit, & ait: me negare Patres Nicænos fidem Trinitatis agnovisse; & excipit probationem esse luculentissimam; eam verò talem affert: *Negabat Arius Filium Patri esse consubstantialem. Discindebat igitur unitatem essentialem Patris & Filii, & ex consequenti spiritus sancti, in qua unitate essentia trinitatis consistit.* Nego consequens argumenti hujus, etenim est antecedente latius. Antecedens de filio, quem Arius Patri consubstantialem negavit, duntaxat agit, Smiglecius consequens etiam ad spiritum sanctum pertrahit. Nam quod ait, negato filio Patri consubstantiali trinitatem solvi, hoc nihil ad quæstionem. Quæstio est, an qui negat Patri consubstantialem Filium,

quicquam agat de Spiritu sancto. Non agere ipsa oppositorum natura docet. Agit de filio. Ergo non de spiritu sancto, & cùm Smiglecius, ex consequenti, nempe quòd sit horum, ut ille putat, trium essentia una, agere colligit, sensum suum ad rem de qua disceptatur affert, & ex hoc non ex rei natura differit. Quapropter non probavit luculenter, ut promiserat, Nicænos Patres, fidem Trinitatis Smiglecianæ agnovisse. Agnoverunt Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & fidem in Patrem, filium, & Spiritum sanctum docuerunt. Sed hos tres esse distinctas numero, in una divina natura, personas, non agnovisse, hinc colligitur, quia in symbolo id non exposuerunt.

At me temeritatis summæ accusat, quod Athanasio vel fidem temere abrogem, vel eum mentientem faciam, vel ita ignorantem, ut mentem illorum Patrum non agnoverit, vel ita malitiosum ut perverterit. At cum Athanasii testimonium a Smiglecio citatum, nihil ad rem, quæ Smiglecio probanda fuerat, facere demonstravi, & Athanasium in eo testimonio non recitare narrando, sed ratiocinando colligere, quid Nicæni Patres sensissent docui, quid horum Athanasio, quæ mihi impingit Smiglecius adscripsi? Iudicet igitur cordatus lector, an sit hîc ullum temeritatis, ne dum summæ vestigium?

Criminationis Smiglecianæ depulsio.

Deinde falsum esse, ab Athanasio id ratiocinando colligi, ait: At cum Athanasius ita scribat: In creaturam fidem non habemus: Assumptionem hinc propositioni præmittat, Patres addidisse, nos in spiritum sanctum credere, hinc emergit conclusio: Ergo Spiritus sanctus non est creatura; quæ illis Athanasii verbis continetur: Eadem illa Synodus, blasphematores Spiritus sancti subvertit, &c. & Assumptioni hujus ratiocinationis præponitur. Si ad eum modum ratiocinatur Athanasius, quis non videt, verissimè a me scriptum esse, ratiocinando e verbis Patrum colligere, quod sibi proposuit, Athanasium? Testis enim, & factorum consiliorumque conscius, res gestas narrat. Qui e verbis alicujus colligit, quod intendit, is certè ratiocinator est, non testis. Quod verò scribit Athanasio, majorem quàm mihi fidem habendam, primùm, nulla erat causa, cur meam fidem cum Athanasii fide committeret. Etenim dum ratiocinantem Athanasiũ ostendo, quid in ea quidem re, quod Athanasius affirmet, a me negatur? deinde fides hîc e rationum pondere, non ex hominis hujus vel illius authoritate æstimanda cuivis est, si prudens & æquus rei æstimator esse velit.

Testis & rationatoris discrimen.

Fides cujusque unde æstimanda.

At scribit me asseverare, Non licere colligere ex eo, quod in aliquem creditur, eum verum Deum esse, cum etiam in sanctos suo modo

modo credi asserat Bellarminus atque Wuiekus: & si igitur in spiritum sanctum Patres Nicæni, credere se professi sunt, non illico sequitur spiritum sanctum esse Deum. Et excipit; *Atqui sane obiectionem poterat ipsemet sibi ex Athanasio dissolvisse: Fidem enim in Deum quam habebant, illa ratione explicare voluerunt: Credimus in Patrem, credimus in filium, credimus in Spiritum sanctum.* At ut millies fidem ita, ut Smiglecius vult, exposuerint Patres, tamen hinc non efficiet Smiglecius, eum in quem credimus, natura Deum esse. Deinde falsum est, eo sensu, quo Smiglecius vult fidem in Deum Patres Nicænos exposuisse. Nam fidem in Spiritum sanctum sunt quidem confessi, at nihil de Spiritu sancto amplius addiderunt. Quamobrem ut ex iis, quæ de Patre, & Filio in symbolo exposuerunt, eorum sententia de Patre & Filio est manifesta, ita cum nihil de spiritus sancti natura exposuerint, de eadem ex illorum symbolo nihil certi statui potest; nec ex eorum doctrina, illorum de spiritu sancto sententia sufficienter colligi, neque ex fide in spiritum S. eum esse personam concludi, cum tam in personam, quam in rem credi posse, divinæ litteræ testentur, quæ nos credere in testimonium Dei volunt; & in oblatam nobis gratiam perfectè sperare jubent. Hos quidem loquendi modos fateor esse figuratos; sed cum ex loquendi modo, quis universè argumentatur, rectissimè talibus argumentationibus, loquendi modi etiam figurati opponi possunt. Porrò quod hîc Smiglecius de credendo Deum, & Deo & in Deum differit, non multùm ad rem faciunt, quod verò Credere in Deum, cum quadam tendentia in ipsum tamquam bonorum nostrorum authorem & largitorem interpretatur, & rursus ex usu familiaris sermonis explicat, eos dici credere in aliquem, a quo sibi omnia pollicentur, ut hoc modo in sanctos se suosque non credere demonstret, sed diverso modo, nempe tamquam in salutis nostræ promotores; idque rectè a se fieri docet illo ad Philemonem loco. Fidem quam habes in Domino Iesu, & in omnes sanctos, non videbatur prætereundum. Nam verùm quidem est, nos credere in Deum, & confidere Deo, tamquam bonorum omnium nostrorum authori primo, a quo omnia speremus, & de quo nobis omnia polliceamur, & ad eum quidem modum soli Deo confidere: verum tamen locus Pauli a Smiglecio allatus non docet nos in sanctos, & eos mortuos credere debere, aut id jure a Smiglecio & ejus Ecclesia fieri. Nam Philemonis illa verba, In omnes sanctos, referri ad charitatem possunt, quæ fidei in Christum præposita est. id verò ex usu divinarum litterarum perpetuo; deinde ut hoc admittatur, ad sanctos fidem referri

1. Ioan: 5. 10; 1. Pet: 1. 13.

Fidei in Deū ingenium.

ferri posse, tamen inter Pauli testimonium, & factum Ecclesiæ Smigleccii permultum interest. Nam locus Apostoli de sanctis vivis agit,

In sanctos mortuos, nullo modo credi posse.

Ecclesia Smigleccii in sanctos mortuos, quos nos nostraq; aut videre, aut ullo modo intelligere non constat, fidem suam dirigit.

Instantiam meam de Domino Iesu, aliter quàm a me proposita est, recitat, & aliud ex ipsa infert, non id cui opposita est. Et enim in eum finem a me producta est, ut fidem in Filium hominis, id est, in hominem Dominum Iesum, ob ipsius exaltationem ponendam ostenderem. Ad quam rem asserendam, illa servatoris verba produxi;

Ioan:3. 14;15.

Oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat vitam çternã. Item alia quę prorsus idem docent; tum

Rom:15. 12.

Pauli ex vate testimonium, qui apertissimè in radicem Iesse gentes speraturas scripsit. Ergo cùm caussam collocandæ in filium hominis fidei, exaltationem ipsius, divinæ litteræ ostendant, & in eum qui naturâ fuit homo eam fidem collocandam disertissimè doceant, apparet hanc fidem, ad divinam Christi naturam, etiamsi ea daretur. quam tamen in æternum non docebunt adversarii, divinas litteras non referre, ob idque instantiam meam jure divino legitimam, admittere adversarium teneri, & ex ea illud manifestum esse, non ilico eum esse Deum naturâ, in quem credamus. Id verò adhuc luculentius ipse

Ioan:12.44.

Dominus Iesus docet, dum ait: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Ex quibus verbis manifestissimè constat, ultimum scopum fidei in Dominum Iesum,

Fidei in Dominũ Iesum, finis ultimus.

esse eum a quo missus fuit. Nec enim a mittente alio dirigitur, sed in eo prorsus conquiescit. Vnde apparet fidem in Dominum Iesum, & in ipsum Deum tantum differre, quantum ultimus finis a subordinato distet. Quod verò præter hominem, non sit Deus, Dominus Iesus, id ex dictis testimoniis nusquam assero; sed hanc ratiocinationem falsò mihi affingit Smigleccius, uti etiam illa falsa sunt, quæ temere asserit, illo testimonio vatis probari Dominum Iesum hominem futurum, ratione naturæ, quam ex Iesse accepturus erat, & qua in cruce evehendus fuerat. Nam prædictum testimonium de suppositio certo, homine nempe Domino Iesu Christo, & fide in eum collocanda ac ejus rei caussa agit; illius commentitiæ naturæ, quæ persona hominis careat, ex ortu Iesse assumptæ, nullam mentionem facit.

Pergit. *Porrò Moscorovius, ut neget Christianos fidem de Deo trino & uno accepisse, sic argumentatur. Apostoli prædixerunt post discessum eorum ingressuros fuisse lupos rapaces, & eos qui perversa docturi essent; id quod Egesippi testimonio confirmat; ex quo infert apud eos qui post Apostolos*

postolos fuerunt, puram veritatem quærendam non esse, sed ex ipsis Apostolorum monumentis, quod Origenis, Hieronymi (Augustini omisit) *auctoritate confirmat. At nihil agit Moscorovius, etenim nos ex fide Christianorum primorum, ea solum ratione concludimus veram fidem esse, quatenus ex doctrina Apostolorum processit, sive viva voce tradita, sive scriptis commendata. Quocirca non de hoc est inter nos quæstio, an aliqua doctrina pro sacra & salutari habenda sit, quam Apostoli non docuerint, hoc enim extra omnem controversiam; sed, an ea doctrina pro Apostolica sit habenda, quæ tribus primis seculis post Apostolos in toto mundo viguit, nec in alium auctorem quàm in Apostolos referri potest. Nos enim ita esse evidentissimè probamus; Adversarii improbare sine summa temeritatis ac impudentiæ nota, non possunt.* hæc ille. At præsens argumentatio mea, cum solis scriptis Apostolicis omnia dogmata salutaria approbanda esse evincat, satis ostendit quo fine sit a me allata. Cujus cùm neque antecedens, nec consequentiam oppugnet Smiglecius, apparet eum directè non respondere; sed effugium quæsivisse, dum quæstionem esse non de eo, an dogma, quod Apostolicum sit, verum sit & salutare, sed an pro Apostolico sit habendum, quod tribus seculis post Apostolos in toto mundo viguisse asserit. Etenim cùm Smiglecius Patrum primorum auctoritatem jactaret; argumentatione præsenti, non Patrum, sed divinorum testimoniorũ auctoritate in divinis standum esse docui; deinde Patrum primorum testimoniis productis ostendi, Smiglecium vanè illorum auctoritate gloriari. Vnde hîc quæstio emerserat: An solis sacris litteris, in probandis fidei dogmatis, standum esset? Cujus affirmativam, ut loquuntur, ego rationibus allatis eviceram. Ad eas cùm nihil respõdeat Smiglecius, sed aliam quæstionem obtrudat, quàm ad statum quæstionis ipse attendat, prudens lector judicabit. Postremò etiam hoc ipsum petit argumentatio mea, quod hîc pro quæstione introducit Smiglecius. Nam si solis divinis litteris omne dogma comprobandum est, quemadmodum & antecedens meum, & rationes ipsius evincunt, certè & hoc trinitatis Smiglecianæ dogma; quod etiam cum tribus seculis post Apostolos Smiglecius in toto mundo viguisse scribat, imponere vult imperitioribus. Etenim Patrum primorum testimoniis, rem aliter se habere ostendi, & totius mundi nimis hîc hyperbolicè a Smiglecio fit mentio. Hyperbolas quidem familiaris oratio ferre potest, at non disceptatio quæ de rebus divinis instituitur. Quod quidem dogma, cum multorum primorum Patrum testimonia illi adversentur, cùm eidem novem symbola, singula in suis conciliis procusa, a Nicæno & a se discre-

Smiglecius statũ quæstionis non attendit.

Dogma Trinitatis, vi & potentia mundi principũ stabilitum.

pantia repugnent, cùm ob vocem οὐσιας καὶ ὁμοουσιὸν tot certamina exarsissent, & non vi veritatis compressa, sed potentia magistratus politici suppressa ad tempus fuisse in historiis ecclesiasticis legamus, ac divinis litteris refutari cernamus, an adversarii evidentissimè probent, an nos non sine impudentiæ, temeritatis, & arrogatione nota, eaque summa, ut scribit Smiglecius negemus, æquus & prudens judicet rerum æstimator.

Tum verò subjicit, *nos, cùm ad scripta Apostolica provocamus, primò falso principio niti, acsi Apostoli eo fine scripsissent, ut omnia dogmata fidei scriptis consignarent, sed potius ut quæstiones occurrentes definirent.* At cum scriptis Apostolicis nihil certius, nihil divinius dari possit, & ea nusquam depravata fuisse prorsus constet, quis non videt jurè nos ad scripta Apostolica, ubi dogma quodpiam comprobandum est, provocare? Deinde quæstiones tantùm coortas pro tempore definivisse suis scriptis divinos scriptores, historia vitæ Domini Iesu, in qua & doctrina, & approbatio doctrinæ sufficienter continetur, disputationes de certis materiis ex professo a divinis scriptoribus susceptæ & pertractatæ, satis refutant, ut ante ostendimus. Vltra quæ addimus, Apostolos occasiones, explicandi istius de Trinitate ejusmodi dogmatis, habuisse quàm plurimas, nec tamen explicasse; verùm iis occasionibus solius Dei veri, qui Pater est, & Iesu Christi ab eo missi notitiam commendasse; unde hoc dogma, ab Apostolis non prodisse perspicuum est. Et qua ratione id dogma Apostolos authores haberet, quod scriptis eorum adversatur?

Nihil incorruptius scriptis Apostolicis.

Dogma Trinitatis Smiglecianæ, falsò in Apostolos conferri.

Pergit. *Deinde admisso, quòd omnia scriptis Apostolicis comprehensa sint, adhuc argumentum nostrum efficaciter adversarios urget; nempe, ut illa sit verior censenda scriptorum Apostolicorum sententia, quæ est fidei primorum illorum Christianorum idem credentium, & fidem suam non in alium authorem quàm in Apostolos referentium conformis, quàm illa quæ cum fide primorum illorum seculorum e diametro pugnat. Fides enim illa primorum seculorum Apostolica est, cùm in alium auctorem referri nequeat. Quocirca & scriptorum Apostolicorum secundùm fidem ejusmodi interpretatio Apostolica quoque censeri debet.* hæc ille. At si Smiglecius omnia divinis litteris ad salutem prorsus necessaria, sufficienter contineri admittit, quod omnino admittendum est; alioquin incertissima nostra salus esset; quæ hominum commentis maxima ex parte niteretur; actum est & de dogmate Trinitatis Smiglecianæ, & dogmatis aliis Ecclesiæ ipsius, quæ præter Apostolica scripta hominibus obtrusit. Cùm verò isto suo argumento tantùm tribuat, comprehenden-

Cur omnia ad salutem necessaria, sacris literis contineantur.

hendendum nobis est presse, ut quæ sit ejus vis tantò evidentiùs appareat. Quare comprehensio ejus talis est. Quod non nisi in Apostolos conferri potest, illud Apostolicum esse, manifestum est. Fides primorum seculorum de Deo trino & uno, & scriptorum Apostolicorum secundùm fidem ejusmodi interpretatio, non nisi in Apostolos conferri potest. Ergo fides & interpretatio scriptorum Apostolicorum ejusmodi est Apostolica; ac proinde cùm Smiglecius unà cum sociis, fidem illam & interpretationem admittat, Apostolicam illorum esse fidem; cùm nos oppugnemus, fidem nos pseudoapostolicam profiteri.

Argumentatio Smiglecii.

Majorem admitto, minorem nego. Nullo modo enim illud in Apostolos conferri potest, quod scripta Apostolica repudiant. At talis est doctrina de Deo uno & Trino, & secundùm eam fidem scriptorum apostolicorum interpretatio. Etenim cùm scripta Apostolica nobis unum Deum, illum Patrem, ex quo omnia, proponant; manifestum est, quod trinum in personis Deum non agnoscant. Deinde falsum est, ut in appendice docuimus, & infra docebimus, primos illos Patres, fidem de Deo trino & uno, eam quam Smiglecius & socii profitentur, fuisse professos. Vnde nec verè infert, se fidem istam cũ suis sequi; ac etiamsi sequeretur, se suosque propterea apostolicam fidem tenere, & nos qui solis divinis scriptis adhæreamus, pseudoapostolicam profiteri. At etiam gloriatur, pro se litteras divinas facere, quas scilicet contra nos urgeant, & interpretationem Apostolicam, quam illi in toto mundo fidelium mentibus docendo impresserunt, vanis commentis præferant. Verùm cùm in certaminibus ejusmodi ad traditiones, & specie quadam, ad fidem primorum seculorum, re ipsa autem ad ecclesiæ suæ sensum decurrant, & nos tantùm auctoritate ecclesiæ & factionis suæ obruere conentur, nonné manifestissimè ostendunt, quàm pro illis litteræ sacræ faciant? Præterea, cùm apertè scribant & fateantur, uti, in responsione prima & secunda, contra Skargam, Iesuitarum testimoniis docuimus nullam hæresin sacris litteris posse confutari, nonné non pro se, sed pro iis qui sunt ipsis hæretici, facere divinas litteras reipsa agnoscũt? Denique, ecquæ illa est interpretatio scriptorum Apostolicorum, quam fidelium mentibus in toto mundo Apostoli docendo impressêre? post multas ambages, eò tandem res recidet, ut dicat Smiglecius, eam quam illorum ecclesia, vel potiùs summus illorum Pontifex præscribit. Quid igitur his ambagibus, quas affert, Smiglecius opus habet? At si Ecclesiæ ab Apostolis plantatæ, in fide gravissimè Apostolis

Illius refutatio.

1. Cor: 8. 6

Smiglecius & socii cur ad ecclesiæ sensum decurrant.

Smiglecii principia.

Ecclesias ab Apostolis plantatas, iis viventibus in fide erravisse.

stolis viventibus prolapsæ fuerant, ut Corinthiorum, & Galatarum, & aliarum exempla monent; quid putas extinctis Apostolis factum fuisse? Certè eo usque prolapsæ sunt quædam, ut in fœdam apostasiam deciderint. At quod aliis contigit, idem Romanæ ecclesiæ evenire non potuisse, nulla est ratio, quæ prohibeat. Non igitur interpretationis veritas ex fide horum vel illorum æstimanda est, sed ex disciplina Apostolorum, quæ in scriptis illorum tantùm indubitata, & ab omni suspicione remota exstitit. Hos enim magistros orbis Dominus constituit, de quibus illud etiam, *Qui vos audit, me audit*, &c. pronunciarit; quod nusquam, quantum ad doctrinam, de ulla ecclesia dictum legitur.

Scripseram, post Apostolorum tempora, doctrinam fidei impuram redditam, & testimoniis divinis, & historiâ idem docueram; excipit Smiglecius, *si concidisse prorsus existimem, falsum esse; portas enim inferorum, non prævalituras adversus eam, nec Satanam Christi regnum destructurum esse; sin hæresibus exortis contaminatam; id quidem verum esse, sed causæ ipsorum non præjudicare. Consignatas enim omnes hæreses cum suis auctoribus, inter quas nullam fuisse quæ fidem Trinitatis induxerit, sed quæ eam cum Ebione & Cherinto oppugnarit.* At quum scripsi impuram redditam, doctrinam ab Apostolis traditam, manifestissimum est, me non scripsisse esse sublatam aut concidisse. quorsum igitur talis exceptio Smiglecio instituta est? At ut exceptio nullius usus, ita & probatio. Etenim, cùm portas inferorum, non prævalituras adversus fideles, Christus promittit; nihil aliud vult, quàm ipsum infernum, non retenturum fideles, quominus a mortuis excitentur, & ab inferis reducantur, quemadmodum alibi docuimus, & a nostris hominibus toties ostensum est. Quod quid facit, ad veritatem doctrinæ, viva voce ab Apostolis traditæ, in sua puritate semper permansuram fuisse, asserendum? Deinde, quòd Christus Satana sit superior, & Satanas regnum Christi destruere non possit, veritatem ab Apostolis traditam, perpetuò puram futuram, non evincit; sed, quicquid agat Satanas, tandem Christus eum conteret, & fideles Christi e faucibus lethi erepti, qui Christi regnum sunt, de eo sunt triumphaturi. Interim homini isti inimico, data est potestas, dormientibus hominibus spargendi zizania, donec tempus messis venerit. Et sanè etiam ante illud tempus, quoties densissimas tenebras a Satana offusas, exorto salutaris divinæ suæ jubare, a mentibus hominum Christus depellit, toties & admirabilis ipsius bonitas erga genus humanum, cujus misereretur; & sapientia, qui viam ad rem tantam perficiendam,

Smiglecii exceptio supervacanea.

Matth: 13. 25.

Christi bonitas, sapientia & potentia divina.

ciendam, contra mundi opes nitentem, invenire novit; & potentia, dum instrumenta, per quæ hæc promovet, velut oves in medio luporum conservat, eniteſcit.

Quodverò in altera parte exceptionis suæ agnoſcit, verum esse, quòd exortis hæresibus contaminata fuerit, tradita viva voce Apostolica doctrina, & hoc nihil illis præjudicare, fallitur. Nam hac ratione, quod volo obtinui. Nam si Apostolica doctrina auditoribus tradita, impura reddita fuit, ergò illius puritas in solis eorum scriptis remansit, ac proinde illinc eruenda est. Quod verò hæreses cum suis authoribus notatas, ac nullam esse quæ trinitatem invexerit, sed quæ oppugnarit, scribit; cùm Trinitas ab Athanasio, & in Conciliis Nicænum subsecutis, sit completa, qua ratione dicit non consignatam? An quia eam hæresin, scriptores non vocent? Sed hoc nihil est, quid illi tum senserint, sed expendendum est, an rectè & Apostolicæ doctrinæ scriptis illorum comprehensæ, congruenter senserint. Nam quod non per doctrinam de trinitate, sed contra trinitatem fidem Apostolicam impuram scribit redditam, quemadmodum per hæresin Socinianam ita impuram redditam ait, ut numquam impurior fuerit, uti scriptis suis a se ostensum gloriatur, hæc ut temerè ab ipso asseruntur, ita jure possunt negari, & negantur; ac ne sibi tantopere in suis placeat, relegat ea, quæ Smalcius sophismatis illius oppositit, & nihil a se allatum, quod non penitus dissolutum sit, deprehendet.

Puritas doctrinæ Apostolicæ, cur in scriptis eorum quærenda.

Ad testimonia patrum, quæ produxeram, ut fidem de Deo trino & uno, non eam primos Patres, quam illi ex Athanasio profitentur, tenuisse, ostenderem; respondet, *me ex verbis quibusdam illorum obscurioribus, omißa per fraudem clara & expreſſa doctrina, quam dicti Patres de trinitate conſignarunt id colligere, at obſcuriora clarioribus explicanda; & hoc a Bellarmino ita præſtitum, ut mirum ſit, me cum meis velle iſta recoquere, ac ſi non ſatis eſſent dilucidè explicata.* At falsissimũ est, me obscurè dicta a Patribus attulisse, & per fraudem, omisisse clarissimam illorum doctrinam, quod verbis istorum Patrum brevissimè repetitis doceo. Quæ rogo in istis Ignatii verbis obscuritas est? Christus non est ille super omnia Deus, sed Filius ipsius; Negat Christum illum super omnia Deum Ignatius; Smiglecius & Bellarminus ex Athanasio affirmant Christum esse, illum super omnia Deum. Ignatius Deum super omnia, Patrem tantùm agnoscit. dum non esse Christum illum Deum super omnia, sed Filium ipsius apertissimè fatetur, Smiglecius & Bellarminus ex Athanasio, Deum illum super omnia etiam Christum docent. Quare Ignatio contradicunt. Et cùm

In Epist: ad Thar-sen.

Smiglecius Ignatio contradicit.

Id negare nulla ratione possint, ita nos elusos volunt, quòd verba Ignatii sint obscura.

In Dialogo cum cum Tryphone Iud.

Iustinus itidem ait. Est & alius Deus, præter conditorem universi, quem ministrasse illi supermundano Deo, multis in locis apertissimè scribit. Bellarminus & Smiglecius ex Athanasio negat alium esse Deum, præter universi creatorem: negant ministrasse filium Deo supermundano. Ergo Iustino contradicunt. Et ne contradicere videantur, Iustini hæc verba, esse obscura pronunciant. En Smiglecii candorem, qui fraudem mihi audet impingere.

Smiglecius Iustino adversatur.

lib: 3. cap: 2.

Iræneus, Iesum qui passus sit sub Pontio Pilato esse Deum, ab eo qui est omnium Deus accepta potestate, quoniam subjectus fuisset ad mortem &c, negat hæc Smiglecius. Ergo Iræneo contradicit. Item Iræneus ait, filium Dei judicii diem ignorare juxta divinam naturam, ut illi loquuntur. Negat hæc Smiglecius; Ergo Iræneo contradicit. Sed hîc quoq; obscurus scilicet Iræneus, quia illi contradicit Smiglecius.

Iræneo, idem repugnat.
lib: 2. cap: 48.

Adde Basilium, lib: 1. Quæst: qui Christum, eò Patrem majorem se dixisse scripsit, quod Filii causa sit & principium. Negat hoc ex Athanasio Smiglecius. Ergo Basilio, quem tantum Patrem, ipse agnoscit, contradicit.

lib: contra Hermog.

Tertullianus ait apertissimè: Fuit tempus, cùm & delictum, & filius non fuit, quod judicem, & qui Patrem Deum faceret. Hæc Bellarmino dura, Smiglecio obscura sunt, nam illi ajunt præternũ filium; Ergo Tertulliano contradicunt.

Eidem cum Tertulliano non cõvenit.

Idem Tertullianus, Patrem totam substantiam, Filium derivationem totius, & portionem apertissimè testatur, idq; illis verbis Christi probat, Pater me major est. Omnino diversum docet ex Athanasio tam Bellarminus, quàm Smiglecius, Ergo Tertulliano contradicunt.

Hilarius spiritum sanctum in duodecim libris numquam Deum, numquam deitatis personam appellat. Hæc facit Smiglecius. Ergo non illi cum Hilario convenit. Sed e clarissima doctrina istorum Patrum, hæc eorum dicta æstimanda excipit. At nullus istorum Patrum, in γνησίοις illorum scriptis, aliter sensisse deprehendetur. Bellarminum verò quędam istorum testimonia mollire conatum fuisse, in appendice scripsi, at nihil effecisse, in secunda mea contra Skargam responsione demonstravi, quæ cùm refutare non posset Smiglecius, maluit pro re mira ponere, quod scilicet ea quæ præstare voluit, nec præstitit Bellarminus, eum non præstitisse doceamus.

Ab Hilario idem discrepat.

Verùm unum de tanto numero producit testimonium, ex quo liquido appareat, nullum dubium moveri posse, de fide primorum

Patrum

Patrum in Deum trinum & unum. Id verò est B. Martialis, qui se & Christi discipulum, & spectatorem illius miraculorum esse ait.

Egregium verò testimonium de fide in Deum trinum & unum, ex Epistola, quæ semper pro commentitia & supposititia, uti & author illius est habitus, & cujus Epistolæ stylus, a genio scriptorum Apostolicorum tantùm distet, quantum densissima nox, a clarissimo solis splendore; & Smiglecius, qui ad talia scripta & nomina fictitia confugit, pudorem mihi nescio quem, qui Apostolica & prophetica doctrina ab omni ætatum serie comprobata nitor, ingerit? Certè desperationis notam & indicium prodit, qui talia caussæ quærit præsidia.

Smiglecius ad scripta commentitia profugit.

Quod ad Luciani testimonium, quem etiam in subsidium caussæ vocaverat, ait *id a se factum, non quod auctoritatem illius magnificaret, sed ut ostenderet nos hæc ignorare, quæ homo ethnicus non ignoravit* &c. At hæc, non cohærent scriptis in appendice. Deinde Lucianum sciviſſe, quæ nos de fide Christiana ignoramus, qua fronte dicitur? Nam cùm per illa trinitatem suam intelligat, nisi nobis cognita esset quî eam oppugnaremus? Cùm oppugnemus, satis apparet, illa mysteria nobis esse nota, & quam fortasse vellet Smiglecius, & alii, notiora. Quamquam nec hoc prætereundum, Mycillum, virum in Græcis exercitatissimum, & trinitarium, illum Dialogum non esse Luciani, ex genere dictionis Lucianicæ demonstrare.

Ex hymno illo, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, suum dogma de sua trinitate comprobare Smiglecius in Appendice voluit, quem ab ipsis temporibus Apostolorum institutum Basilii authoritate confirmasse sibi visus est. Respondi; Basilium tanto ab Apostolis temporis intervallo dissitum, non esse ejus rei testem locupletem; deinde dogmata fidei divinis testimoniis firmari oportere, excipit Smiglecius, *non intelligit*, inquit, *homo hæreticus nos Basilii testimonio non res fidei probare, sed usum Ecclesiæ in hymno glorificationis decantando, ab ipsis usq; temporibus Apostolorum ex tanti Patris monumentis deducere.* At mi homo, si basim tui dogmatis hymnum constituis, & eum authoritate Basilii confirmas, qua ratione res fidei tuæ, Basilii testimonio non probas? Abjice tale acumen. At quod me hæreticum appellas, in eo impotentiam animi tui prodis, qui, cùm disputatoris partes susceperis, teneri non potes, ut non in judicis partes involes. Hæc quàm tanto Doctori conveniant, æqui lectores judicent. Interim ad alteram exceptionis meæ partē, Dominus Doctor continuit.

Impotens Smiglecii animus.

Scribit, *ineptè a me refutari hymno glorificationis additam esse in concilio*

concilio Nicæno contra Arianos clausulam, Sicut erat in principio & nunc &c. & ait, *contra blasphemas Arianorum linguas dicentium id de Filio, quod ex non existentibus factus esset, adjectum fuisse. quod ex Sozomeno, & concilio Vasensi primo, probat Baronius.* Egregium verò testem, Iesuita producit Iesuitam, eumque opponit adversario. Si nostros homines testes producerem, an eos admitteret Smiglecius? Cur igitur vult me testimonio stare Baronii? Sed videamus tamen Sozomenum; is lib:1.cap:20. & 23. narrat, quid Niceæ actum sit, istius hymni, aut appendicis nullam mentionem facit. Ergo Baronium hæc docere ex Sozomeno non potuisse, quæ in illo non habentur, perspicuum est. En igitur illa ineptè a me refutata, quæ convellere non potuit Smigleci⁹. Deinde cùm Smigleci⁹ scripsisset, clausulam in Concilio Niceno adjectam: sicut erat in principio, &c. ex concilio Vasensi primo cõstare: negavi; acta concilii tum Nicæni, tum Vasensis primi opposui. Excipit Smiglecius; Acta concilii Nicæni non nisi ex historiis illorum temporum & Patribus haberi. At cur istis historiis, cur istorum Patrum testimoniis non docuit, illam clausulam in concilio Nicæno sancitam? Cur antea concilio Vasensi primo, approbatum hoc voluit? Certè in primis historicis, qui Nicænę synodi acta descripsêre, Eusebius, Rufinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus numerantur. quorum primus in libro 3. de vita Constantini synodum Nicænam brevibus describit; Secundus symbolum, & omnes Nicænæ synodi canones lib:1.cap:6. longè uberiùs exposuit; Tertius lib:1.cap:8. symbolum & annexa persecut⁹ est. apud hos nihil extat de hac clausula, ut neque apud Sozomenum. Ergo actis Concilii Nicæni refutatur, quod e Vasensi concilio primo docere voluit Smiglecius: Ac etiam actis concilii Vasensis primi; in quo non extat illud, quod Smiglecius affirmaverat.

Ea quæ non habentur in Sozomeno, ex eo doceri nonpotuisse.

Ad Vasense concilium respondet, me etiam hîc labi, cùm Vasensis primi & secundi concilii Canones confusi habeantur. At refutat Smiglecium ipsa conciliorum Vasensium, in primum & secundum distinctio; tum etiam canones Vasensis primi & secundi conciliorum, ab ipso Petro Crabbe Franciscano conciliorum compilatore, distinctè descripti & propositi. Quod ad tempus concilii Vasensis primi, idem Petrus Crabbe annotat, sub Theodosio juniore celebratum fuisse. At is anno Christi 408. iniit imperium, decessit 450. quod tempus amplius quàm seculo distet a Nicæno concilio. Ergo suum Baronium, quem mihi hîc iterum opponit, cùm suo item Monacho prius committat, & si litem obtinuerit Baronius, tum lapsus, suum Mona-

Monachum notet, ac postmodum mihi litem ea de re intendat. Atque cùm ex suo Adone id docere velit, hanc nimirum clausulam ad primum Vasense concilium pertinere, cur testimonium Adonis non attulit? Deinde expendat, quàm constanter sese tueatur. Antea elabi e manibus voluit, quòd conciliorvm Vasensis primi & secundi canones confusi haberentur: nunc iterum clausulam ad primum Vasense concilium pertinere, ex Adone dicit, manifestum esse. Si canones utriusq; concilii sunt confusi, ut ajebas, cur ad primum cõcilium clausulam referre contendis? nempe eo ipso, quod nunc agis, prius evertis. Quapropter si consilium mihi datum de consulendis meliùs historicis, ipse secutus fuisset, multò prudentius Dom. Doctor egisset.

Smiglecii in respondendo inconstantia.

Scribit deinde, me maluisse rubricas Missalis Cracovienſis legere, easque contra ipsarum sensum torquere, cùm in iis dicitur, ad spiritum sanctum orationes non dirigi, &c. *inde verò ineptè me inferre, Missale Cracovienſe a fide Trinitatis recessisse.* Et refutat id; *Quomodo*, inquit, *id verum esse potest, cùm in eo Missali, Missa de Spiritu sancto, & Trinitate habeatur:* & tandem addit epiphonema quo suum hoc caput concludit: *At ineptire libuit Moscorovio, cùm, quod ad rem diceret, non haberet.* At primum falsum est, me ex eo quòd Missale illud Cracovienſe apertissimè fatetur; Ad spiritum sanctum non dirigendas esse preces; & rationem affert, eò quòd donum non petatur a dono, sed a largitore doni, Missale Cracovienſe a fide trinitatis recessisse, inferre; sed id tantùm in Missali illo vestro priscæ veritatis extare quædam vestigia. Cur igitur hæc mihi affingis? Sed eò affingenda fuerunt, ut figmenti hujus refutationi, & epiphonemati tam bello, locum parares. Vter autem nostrum ineptiat, uter non habeat quod ad rem dicat, lectores æqui & eruditi judicium ferant. Certè tuæ tavtologiæ, & non directè responsiones, & loco agnitionis lapsuum tuorum, confictæ in adversarium criminationes, candoris nempe tui argumenta, quàm habeas, quod ad rem dicas, non obscurè indicant.

Caput II.

Quod ad eum modum exorsus est Smiglecius.

Arianos absurdè negare, Baptismum aquæ conferri debere, in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti.

IN hoc capitè ait me absurdissimè negare duo, uti loquitur. *Vnum, Apostolos aqua baptisasse in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti* &c. *Alterum baptismum in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti esse aquæ baptismum.* At enim, cùm ex eo inferam, baptismum in nomine Patris, Filii, & spiritus sancti, non esse aquæ baptismum; quòd numquam Apostoli in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti aquâ baptisarint, sed tantùm in nomine Domini vel Christi aquâ baptisasse legantur; quid negationes numerat, cùm ad illationem illi respondendum fuerit?

Smiglecius directè non respondet.

Progreditur deinde & ait, ineptissimè ad eum modum concludi: rationes verò afferre duas se putat; prima sic habet: *nam etiamsi*, inquit, *baptisassent, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, rectè dicerentur baptizasse in nomine Christi, tum quia in baptismo in nomine Patris, filii, & Spiritus sancti, continetur etiam nomen Christi; tum quia baptismus in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, cum sit a Christo institutus & mandatus, meritò potest dici baptismus Christi.* At hæc ratio nihil efficit. Nam tantùm ostendit, In hac baptismi in nomine Patris, Filii, & spiritus sancti formula, nomen Christi contineri. & eum baptismum, quod a Christo institutus sit, eò Christi dici, quibus de rebus, nulla est controversia, sed non docet, non demonstrat, ineptissimè concludi, eum baptismum non esse aquæ baptismum, eò quod aquæ baptismum Apostoli alia forma semper administrarint, quemadmodum acta Apostolorum testentur. Quamobrem ea Smiglecii ratio, ad rem nihil prorsus pertinet.

Smiglecius controversa præterit, aliena reponit

Affert alteram; *tum quia*, inquit, *cum legimus in nomine Christi nobis remitti peccata, non excluditur nomen Patris & Spiritus sancti, in quorum etiam nomine remitti nobis peccata dubium non est; ita cum dicitur baptismus conferri in nomine Christi, non excluditur nomen Patris, & spiritus sancti.* Ac deinde causas affert, cur baptismus dicatur Christi.

At non hoc est in quæstione, an ab ullo opere quod in nomine Christi fiat, excludatur Pater & spiritus sanctus, sed an ex baptismo aquæ, in nomine Christi semper ab Apostolis administrato, illud consequatur, Baptisma in nomine Patris, & filii, & spiritus sancti, non esse aquæ baptisma. Nam nec in prædicatione Apostolorum in nomine Christi instituta, aut mirandis operibus in nomine Christi editis, excluſus fuit Pater, & spiritus ejus; nihilominnus non quod fiebat in nomine Christi, idem prorsus eadem omnino ratione fiebat in nomine Patris, quemadmodum in hac ipsa peccatorum remissione in nomine Christi, quam Smiglecius pro ratione simili affert, videre est. Etc-

esi. Etenim fit remissio peccatorum in nomine Christi, tamquam caussæ secundæ, fit remissio peccatorum in nomine Dei, tamquam caussæ primæ. Ejus distinctionis rationem ostendit Petrus Apostolus Domini dum ait: *Quod Deus, Iesum suspensum in ligno principē & servatorem dexterâ suâ exaltaverit, ut daret pœnitentiam Israeli & remissionem peccatorum.* Christus dat pœnitentiam & remissionem peccatorum; at ut daret, Deus eum principem & servatorem dexterâ suâ extulit. Quamobrem remissio peccatorum, a Deo dependet, tamquam caussa prima; a Christo tamquam causa secunda: ac proinde & in nomine Christi, & in nomine Dei, eadem distinctione in litteris divinis fieri dicuntur. Ac sive etiam illa, quæ ex Actis citavimus ad Deum referre quis velit, tamen Deus per Christum illorum auctor censebitur, atque eodem prorsus res recidet. Causæ verò, cur Christi baptismus, Christi dicatur, nihil prorsus ad rem faciunt; ubi de consequentia illa, de qua diximus, tantùm agitur.

Act: 5. 31.

Peccata remitti, in Dei Patris nomine, ut caussæ primæ, in Christi nomine ut caussæ secundæ.

Ex his rationibus, nihil prorsus ad rem allatis, infert Smiglecius: *Ex quo patet,* inquit, *nullo modo adversarios excludere posse baptismum in nomine Christi, eò quòd fuerit in nomine Christi, non fuisse in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti.* At quam illatio sit, e nullis legitimis prœmissis effecta, & quam falsò adversus nos directa, e superius a nobis disputatis, perspicuum est.

Sed adhuc oppositum concludi hinc docet, id verò ea ratione: *Baptismus in nomine Christi collatus, non nisi ea forma, quam Christus præscripsit, conferri debuit. Atqui præscribens Christus formam baptismi a se instituti ait: Baptisantes eos in nomine Patris, Filii, & spiritus sancti. Hac igitur forma baptismus in nomine Christi conferri debuit ab Apostolis, & revera collatus est, nisi dicamus, Apostolos, Christi institutionem neglexisse.* At hoc in appendice, quemadmodum & priora attulerat Smiglecius, ad eaque responsum tulerat, quid igitur ista recoquit?

Hæc verò argumentatio, baptismum Christi in nomine Patris, filii, & Spiritus sancti conferri debuisse, & collatum fuisse docet, quod nos non concedimus tantùm, verumetiam perurgemus. At hunc baptismum, esse aquæ baptismum non evincit, de quo inter nos controvertitur. Immo verò ex eo oppositum apparet. Cùm enim fieri non potuerit, ut Apostoli præceptum Christi, ulla ratione negligerent, & numquam in actis Apostolorum aquâ baptisasse in nomine Patris, filii, & Spiritus sancti: sed tantùm in nomine Christi, aut Domini legantur; manifestum est, baptismum in nomine Patris, filii, & Spiritus sancti, aquæ baptismum non esse, ut toties ostendimꝰ.

Accedit deinde ad exceptiones nostras; *Nomen Christi, ait Moscorovius, non est nomen patris & spiritus sancti. Ergo baptismus in nomine Christi collatus, non est in nomine Patris & Spiritus sancti.* Excipit, *ostensum esse a se, non ea ex causa baptismum in nomine Christi dici, quod nomen Christi solum contineret, & excluderet nomen Patris & Spiritus sancti.* At nisi ostenderit Smiglecius, nomen Christi Patrem & Spiritum sanctum denotare, argumentationis meę vim non declinabit. Ex eo, quòd Pater & Spiritus sanctus non excludantur ab iis, quæ in nomine Christi fiant, idem numquam docebit. Etenim si in nomine Christi includeretur nomen Patris & Spiritus sancti, tum sine caussa Matth: 28. in nomine Patris, filii, & Spiritus sancti expresè baptisari Christus mandasset. Sufficiebat enim, si vera esset Smiglecii opinio, in nomine suo baptisari præcepisse.

Recitat deinde exceptionem meam, Baptismum in nomine Patris, & filii &c. non esse baptismum aquæ.

Primum opponit mihi fidelium a temporib⁹ Apostolorum sensum: item canones Apostolorum 19. & aliorum conciliorum canones, *& hoc satis foret*, inquit, *ad convincendam & redarguendam summam istorum hominum temeritatem & impudentiam.* At si temeritas est, omnia sine ratione agere; certè rationem in omnibus sequi, & ad eandem omnia exigere, nec hominum authoritate niti, ab omni temeritate quàm longissimè abest. Impudentia verò quæ ea in re est, ne dum summa, si ad rationis normam ut vitæ cursum, ita sentiendi libertatem dirigas? Sensum verò, quem nobis fidelium a Christi temporibus opponit, Ecclesiæ suæ pontificiæ sensum intelligit. Quod hinc patet, quod & canones istos, e quibus contra nos 19 producit, ipsius Ecclesia omnes non recipit. Quemadmodum 5. & 6. canon sunt documento; ac aliorum conciliorum canones omnes, eatenus, quatenus illos probat, admittit, uti alibi in prima & secunda contra Skargam responsione docuimus. Quid igitur Ecclesiæ suæ sensum, verborum involucris contectum nobis opponit, & nos, quos scit eum non admittere, temeritatis & impudentiæ propterea summæ damnat?

Vbi sit, ubi non, temeritati locus.

Ac neque hic canon decimusnonus, quicquam de baptismo habet, fortasse quadragesimum nonum citare voluit, in quo damnantur, qui in tribus principiis, in tribus Filiis, in tribus paracletis, non in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, juxta præceptum Domini baptisarent. At hoc, quid ad nos?

Sed jam ad rationes accedit. Prima, ita comprehensa ab eo videtur. *Si*

tur. *Si baptismus in nomine Patris, Filii, & spiritus, esset a baptismo, quem Apostoli in nomine Christi usurparunt, diversus, duo baptismata Christus instituisset.* At est unum baptisma Ephes 4. Ergo baptismus in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, non est a baptismo Apostolis usurpato diversus. Nego assumptionem. Nam Christum & baptisaturum fuisse & baptisasse spiritu sancto citra aquæ usum, & sanguine se & suos baptisatum iri edixisse, in divinis legimus. Vnde apparet, Christum diversa baptismata instituisse, nec esse hoc ullum, ut putat Smiglecius inconveniens; & Apostolum ad Ephes: Vnum baptisma non absolute scripsisse, verum ea ratione, qua in suo quidq; genere unum dici potest, & solet.

Argumentatio Smiglecii.

Refutatio argumentationis Smiglecianæ.

Secundæ rationis summa hæc est: Si Christus per illum baptismum, quem Matthæi 28. instituit, evangelium & doctrinam intellexit, numquam Paulus dicere potuisset se ad baptisandum non esse missum, sed ad evangelizandum. At dixit: Ergo Christus per baptismum, evangelium & doctrinam non intellexit. Consequentia patet ex missione Pauli eadem, & vocatione, & munere.

Secunda ratiocinatio.

Nego consequentiam ejus argumentationis, Ex eo enim quod Paulus ait: Christum se non misisse ad baptisandum, perspicuum est, quod Paulus baptismum, ad quem exequendum Christus Apostolos Mat: 28. misit, illis verbis non expresserit, nec intellexerit. Nam si expresisset, mandato Domini Iesu, & muneri suo contravenisset, quod a Paulo alienissimum est. Præterea, cùm ex antecedentib: constet, Paulum in illis verbis, de aquæ baptismo egisse, planum est, a Christo Apostolos non missos, ut aqua baptisarent. Hac argumentatione eversa, & illius subsidia sublata sunt, & illa, quæ hîc de distinctione evangelizandi & baptisandi e Paulo affert, nihil prorsus nobis obstare nec illum juvare, una eademque opera ostensum.

Tertia ratio est. *Christi verba duo ostendunt diversa Apostolis imposita docere & baptisare sicut & cum additur, qui crediderit & baptisatus fuerit salvus erit, non est idem credere & baptisari, sed postquam quis crediderit, debere etiam baptisari, quocirca & docere credenda non erit idem quod baptisare. Prius enim doceri jubentur, ut credant, tum baptisari, quod eunuchi illius exemplo probat. Ergo docere non est baptisari.* Respondeo. Aliud esse μαθητεύειν, aliud διδάσκειν, id verbum μαθήτης, a quo μαθητεύω derivatur, satis ostendit. In Christi verbis non est διδάσκετε, sed μαθητεύσατε, quod significat discipulos facite. Hoc igitur mandato Apostolis dato, ut discipulos Christo facerent, modum deinde, quo facerent discipulos, nempe doctrina, & confessione Patris,

Filii,& Spiritus ſancti eos imbuendo,& ſervare docendo,quæ præcepiſſet,oſtendit. At hinc non colligi,verbum baptiſandi, non poſſe de doctrina accipi,immo accipi poſſe & debere,res ipſa monet. Etenim diſcipuli Chriſti fiunt, non aqua elementari ſed diſciplina: quod fructus baptiſatorum aqua, & baptiſatorum doctrina, nimis evidenter demonſtrant.

Deinde in illis Chriſti verbis quæ non his apud Matthæum addũtur,ut Smiglecius parum cautè ſcribit,ſed apud Marcum habentur admittimus, credere & baptiſari diverſa eſſe, ut prius prædicationi Apoſtolicæ aſſenſum,poſterius,ablutionem ſordium per pœnitentiam veram ſignificet; ſi quidem pœnitentia e fide emergit,& æquè ad ſalutem ac fides eſt neceſſaria, quod certè, de aquæ baptiſmo, dici nullo pacto poteſt. Præterea hic locus, de iis, quæ ineſſe debent fidelibus agit, credere nimirum & baptiſari: at locus Mat: de iis rebus quæ Apoſtoli exequi juſſi ſunt, tractat, nempe ut diſcipulos Chriſto faciant,baptiſando,& præcepta explicando. Quam igitur apte unum pro alio uſurpet Smiglecius judicet lector eruditus.

Pœnitentiæ vis & origo.

Poſtremo,diſcrimen inter baptiſmum aquæ,& doctrinam oſtendit, idque exemplo eunuchi probat. At nos hoc diſcrimine admiſſo, negamus per aquæ baptiſmum, baptiſmum doctrinæ tolli, quemadmodum aquæ baptiſmus Ioannis,non tollebat ipſius doctrinam,quã baptiſmum in divinis litteris vocari,inter alia,illa quæ de Apolloe in Actis ſcribuntur, quod tantùm ſciret baptiſma Ioannis, ſunt documento.

Per baptiſmum, doctrinam interdum denotari.

Act:18. 25.

Quartæ rationis vis eſt. *Si Chriſtus per baptiſmum evangelium ſignificare voluiſſet, talem baptiſmum Apoſtoli prædicare debuiſſent: At non prædicarunt. Ergo nullum alium baptiſmum præter aquæ agnoverunt.* Et infert: *Quocirca ubi baptiſmi fit in divinis litteris mentio,ſemper aquæ baptiſmum intelligi.* Admitto majorem. Minorem nego,ſi per evangelium doctrinam intelligat. Etenim cum conſtet eos aqua, in nomine Patris,Filii,& Spiritus ſancti non baptizaſſe; niſi prædicatione & doctrina, eum baptiſmum executi fuiſſent, conſequeretur neceſſariò eos Chriſti præceptum executos non eſſe. At hoc eſt ſummum inconveniens. Ergo ut vitetur admittendum prorſus eſt,eos in nomine Patris, & Filii,& Spiritus ſancti doctrina baptizaſſe, dum cognitione Patris,Filii,& Spiritus ſancti homines imbuerent. Vnde apparet illas illationes, Apoſtolos nullum alium præter aquæ baptiſmum agnoviſſe, & quoties baptiſmi fit mentio, ſemper aquæ baptiſmum

Qua ratione præceptũ apud Mat: 28. datum, Apoſtoli executi fuerunt.

smum intelligi, nihil valere: quæ etiam apertissimè divinarum litterarum testimoniis refelluntur. Nam si hæc illatio Smiglecii valeret, tum illud dictum Christi, *Baptismate quo ego baptisor, baptisabimini,* de aquæ baptismo accipiendum esset; & cum de Apolloë scribitur, quod tantum sciret baptisma Ioannis, eum quod Ioannes aqua tingeret, solum modo sciviſſe dicendũ. Qui si solum id scivit, quomodo ea quæ de Domino diligenter docere potuit, quod eum Lucas feciſſe testatur. Nam quod ad comprobandum idem Eph: 5. affert, mundatam ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ, (vitæ vox in exemplaribus Græcis non habetur,) & per aquæ lavacrum, aquæ baptismum; per verbum vitæ, evangelii prędicationem interpretatur, nonné vim verbis Apostolicis infert? Nam Apostolus mundatam ecclesiam aquæ lavacro in verbo dum dicit; apertissimè quod illud esset aquæ lavacrum; nempe in verbo ostendit. Verbum nimirum est illud aquæ purissimæ lavacrum, quo Christus ipse ecclesiam mundavit, ut exhiberet sibi ipsi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut quid ejusmodi, sed sanctam & immaculatam, non aqua elementari, qua nihil horum præstari prorsus potest. Quæ cum in refutatione Appendicis deducta fuissent, D. Doctor hæc pro sua sapientia dissimulavit.

Matth: 20. 23.

Act: 19. 23.

Ad locum Matthæi, quem hîc reponit toties repetitum, respondimus superiùs. Porrò etsi ad locum Petri in Appendice responderimus, iterum hîc respondemus, quòd ostendat disertissimè Petrus baptisma nos servare, verùm illud, non quod depositione sordium carnis, ad quas dumtaxat pertingit aqua elementaris, sed quod bonæ conscientiæ interrogatione seu potius stipulatione, in Deum per resurrectionem Iesu Christi, quam efficere non potest aqua elementaris, constaret.

Quale baptisma nos servet.

Quid igitur contra tam aperta Apostoli verba, in aqua nos salvos fieri interpretatur, & sordes conscientiæ contra omnem sensum & rationem, & divinarum litterarum auctoritatem, illa elui Smiglecius contendit?

Locum de illis discipulis Ephesi a Paulo baptisatis regerit; idque ad eum modum. *Cum Paulus Ephesi invenisset discipulos, qui non solum spiritum sanctum non acceperant, sed neque si esset audierant, admiratus ait: In quo ergo baptisati estis, nempe significans eos spiritum sanctum ignorare non potuisse, qui in nomine spiritus sancti baptisati essent. Conferebatur ergo baptismus Christi, & in nomiue spiritus sancti.* hæc ille. Hic igitur agnoscit Smiglecius, eos in nomine spiritus S. baptisatos fuisse, quemadmodum in Appendice contendebat, in qua pro verbis spiritum san-

tum ſanctum eos ignorare(non potuiſſe) non debuiſſe,etiam ſcripſerat.Nec agnoſcit ſolùm,verùm ex eo infert,etiam in nomine ſpiritus ſancti baptiſmum Chriſti conferri ſolitum. Quæ cum ego confutaſſem, primùm illorum a Paulo rebaptiſatorum reſponſione; nam qui non audierant, an eſſet ſpiritus ſanctus, qua ratione in nomine ſpiritus ſancti, iidem baptiſari potuerunt? Deinde, cùm baptiſmus in nomine Patris, & Filii,& Spiritus ſancti, eſſet a Chriſto inſtitutus; & illi in baptiſma Ioannis dumtaxat baptiſati fuiſſent; apparet illos in nomine ſpiritus ſancti baptiſatos non fuiſſe,cur igitur illa,regerit,quod in nomine ſpiritus ſancti baptiſati fuerint;&baptiſmum puta Ioānis, in nomine ſpiritus S. conferri ſolitum fuiſſe,infert Smiglecius ?

Ac præterea, quid jam reſpondeat Smiglecius, attende rogo lector erudite; Ait me nec argumentum ipſius, nec verba Pauli intellexiſſe. Quid ita? *Quia non dicimus*, inquit, *diſcipulos illos fuiſſe baptiſatos baptiſmo Chriſti, ſed potiùs non fuiſſe baptiſatos, idque eo argumento: Quod ſi fuiſſent baptiſati baptiſmo Chriſti, ignorare ſpiritum ſanctum non potuiſſent, ut Paulus argumentatur, ſiquidem in nomine ejus baptiſati fuiſſent. Ex quo apparet, illos diſcipulos fuiſſe credentes, nondum baptiſatos baptiſmo Chriſti.* At in appendice apertiſſimè ſcripſerat, illos in nomine ſpiritus ſancti baptiſatos fuiſſe, ob idq; ſpiritum ſanctum ignorare non debuiſſe: idem paullo ante repetiit, illos eosdem in ſpiritum ſanctum baptiſatos fuiſſe,propterea que ſpiritum ſanctum ignorare non potuiſſe. Et quod majus eſt, hinc intulit,In nomine ſpiritus ſancti conferri baptiſmū puta Ioānis ſolitum fuiſſe.Nunc verò rurſus negat fuiſſe baptiſatos ſpiritu S.,idque argumento meo,aliis verbis a ſe repetito aſtruit. Vide igitur ut D. Doctor, dum me quæ ipſe ſcripſerit, non intelligere, nec Pauli mentem aſſequutum docere contendit, affirmet quæ negaverat, neget quæ affirmaverat,& ſe contradictione implicet, ac intelligendo faciat, ut nihil, ut Comicus ait, ipſe intelligat.

Smiglecius ſibi-ipſi contradicit.

Deinde, lepidus eſt D.Doctor, qui nos ex eo,quod illi iidem diſcipuli audita & credita doctrina,aqua baptiſati fuerint,doceat Chriſti baptiſmum non eſſe doctrinam; quaſi verò nos aquæ baptiſmum qui in Chriſti nomine conferebatur, eſſe doctrinam unquam aſſeruerimus.

Pergit,& ex illis verbis, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu S.* (deeſt vox *ſancto* apud Ioannem)*non poteſt introire in regnum Dei*, docere conatur, *baptiſmum Chriſti non eſſe doctrinam Evangelicam, ſed baptiſmum aquæ conſequentem doctrinam, in ſpiritu ſancto collatum.* At

novit

novit Smiglecius nos aquam hîc de aqua baptismi accipi pernegare. Quare prius hoc illi probandum est, tum verò demum licebit ei ex eo loco ad eum modum contra nos argumentati.

Quæ hîc de baptismo, quo discipuli Christi, Christo in terris agente baptisarunt, de ejus baptismi & Ioannis discrimine, quo discipulos baptisatos ex Augustino probat, de baptismo quo die pentecostes discipuli baptisati fuerint, & alia subjicit, ea cùm ordine repetit, non est quod hîc examinemus, etsi quo fine congesta sint, cùm nihil ad præsentem argumentationis cursum faciant, non dispiciam.

Sed jam ad refellenda nostra accedit. Dicit igitur nos in illo Ioannis loco, aquam pro spirituali aqua absurdè intelligere. *Primò quia contra omnium veterum sensum: deinde quòd hîc duo requirat Christus ad generationem spiritualem; ut patet ex particula Et.* Quod ad veterum sensum attinet; Si veteres vetustas commendet, omnium inter veteres sunt primi Apostoli, ex his nos sapere & divinas voces intelligerè doceat Smiglecius. Deinde dum ait; duo hîc requiri ad generationem spiritualem, aquam & spiritum, quod in quæstione est, sumit atque ita principium petit. Nam particula *Et*, quàm infirmum sit ipsius præsidium, patebit inferius.

Qui sint omnium primi & vetustissimi.

Ait enim nos particulam *Et*, exegeticam esse affirmare; *At*, inquit, *unde id colligunt; nisi quòd illis ita libeat? Etsi enim particula ET, quandoque exegeticè accipi possit, non tamen passim, sed cùm res requirit; quod hîc ostendi nullo pacto potest.* hæc ille. At enim cùm particulam *Et*, quandoque per epexegesin accipi ipse agnoscat, cur id nos colligere, eò quia nobis libeat, audet affirmare? Nam ad illius collectionem infringendam satis est, si ostendamus, *Et* particulam, interdum ad eum modum usurpari. Quod autem eam in eum sensum hoc loco accipi posse negat, res ipsa subjecta, cujus rationem in ejusmodi particulis habendam esse agnoscit, ita prorsus eam accipi debere, ex iis quæ differemus, planum faciet.

Smiglecius ipse vim sui præsidii enervat.

Secundò affert, per aquam hîc spiritum non intelligi, *quòd spiritus in divinis litteris designetur quidem per aquam, at quatenus vim mundandi & abluendi, non autem generandi habet, in qua significatione nusquam spiritum sanctum per aquam intelligi vult;* ad quæ cùm respondissem in appendicis refutatione nullum tale discrimen divinas litteras agnoscere, verùm repurgatione ab omni labe nihil aliud, quàm generationem spiritualem, & vice versa notari. Excipit Smiglecius hæc *esse formaliter distincta, & spiritum sanctum non denominari aquam propter generationem, sed propter mundationem.* Atqui hoc

Smiglecius loco responsi, idem reponit.

idem reponit Smiglecius, quod ego negavi. Probandum itaque hoc erat Smiglecio, non controversum reponendum, nec tam turpis petitio principii, nimium Smiglecio familiaris admittenda. Nam e spiritu nos renasci, locus præsens apertissimè testatur. Negari itaq; non potest, semper nos e spiritu, si ei nos accommodemus, regenerari, & quacumque metaphora idem in litteris divinis designetur, semper regenerationis opus peragere; & cùm hanc aquam Smiglecius nominari propter generationem velit spiritum, qui nos regeneret, ea significari. Deinde cùm ex illis Christi verbis, *Quod natum est ex carne caro est, quod natum est e spiritu, spiritus est*, ostenderem hîc aquam vel spiritum notare, vel illam in spiritum mutari. Non prius, Ergo posterius; frivolam hanc esse argumentationem ait. Quid ita? *Primùm*, ait, *Christi propositionem non intelligi, nisi de carne, quatenus carnali generatione ex ea quid nascitur*, &c. *non verò de carne quatenus divini spiritus virtute ad aliquid spiritale caußandum assumitur.*

Ioan: 3. 5.

At Christi propositio opponit spiritui carnem; & quò ad generationem opponit, & e carne carnem, e spiritu spiritum generari, apertissimè docet. Ergo meam illationem, quam frivolam Smiglecius vocat, approbat. Exceptio Smiglecii, quòd possit e carne spirituale quid generari, si divinitùs ad eam rem assumatur, verbis Christi redarguitur, quæ e carne carnem, e Spiritu nasci Spiritum, ostendit; & si Smiglecii assertio vera esset, extraordinaria esset. at talia sub regulam ordinariam non cadunt. Docendum igitur erat Smiglecio, hîc aquam rem corporeã, assumi divinitùs ad rem spiritualem producendam. Nam etsi illa quæ de verbo Christi & afflatu, & manuum impositione Apostolica, & carne & sanguine Christi vera essent, quę scribit Smiglecius, nondum tamen aquam baptismi ad generationem spiritualem peragendam divinitùs assumi constaret, multò verò minùs, cùm illa falsa appareant. Nam quod ad verbum Christi attinet, quod Smiglecius carnem ex se vocat, & tamen admirandos effectus illo tam in corporibus, quàm in animis editos asserit, e qua id rogo theologia, aut etiam philosophia depromsit? Theologia quidem Domini Iesu, verbum Christi, spiritum vocat. Sic enim servator ipse: *Verba quæ ego loquor spiritus sunt, & vita sunt.* & Apostolus: *Qui & idoneos fecit nos ministros novi testamenti non literæ, sed spiritus: Nam litera occidit, at spiritus vivificat.* Ergo quod divinæ literæ esse spiritum, apertissimè testantur, erit caro Smiglecio? Præterea, quæ Philosophia, verbum, carnem vocat? Ac etiamsi daretur Smiglecio, Christi verbum, quò ad sonum articulatum, esse carnem, num articu-

Christi verbum spiritum dici.

Ioan: 6. 63.

2. Cor: 3. 6.

lato

lato sono edebat illos effectus Christus? Id quidem si verum esset, parem vim voci aliorum hominum, inesse oportuisset, cùm ea naturâ sui a Christi voce non differret.

Spiritum porrò S. afflatu a Christo discipulis datum, historia Spiritus S. dati Act: 2. refellit, & insignis Ioannis locus, qui dicit, nondum fuisse spiritum S., eò, quod nondum esset Iesus glorificatus. At hunc non fuisse glorificatum, antequam in cælos esset invectus, & spiritum S. a Patre in suos effundendum accepisset, eadem historia testis est. Quod verò in loco a Smiglecio citato dicat Christus: Accipite spiritum S., apparet ex loco Ioannis, & historiâ dati Spiritus S., hæc verba accipi oportere pro futuro, ac si Christus dixisset; Accipietis spiritũ S. quemadmodum alibi Christus ad eum modum loquitur, de spiritu S. *Vos*, inquit, *cognoscitis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit.* Vbi verba præsentis temporis pro futuro accipi oportere, & res ipsa, & verbum ad finem adjectum ostendit; Atque etiam apud Luc: 24. 49. ita Christus loquitur: *Ecce ego mitto promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in civitate Hierusalem, quo adusq; induamini virtutem ex alto.* Et sanè hoc in divinis literis ad rei futuræ certitudinem designandam usitatissimum, ut per præsens futurum efferatur. Spiritum porrò S. interveniente manuum impositione ab Apostolis datum legimus, sed eundem precib: pro iis ad Deum quibus manus imponerent fusis impetratum historia Act: 8. 15, 16. testis est. Non igitur manuum impositio vi sua conferebat Spiritum S., sed ad manuum impositionem divinitùs conferebatur.

Spiritus S. quando Apostolis datus.

Ioan: 7. 39.

Act: 2. 33.

Ioan: 14. 17.

Præsens pro futuro, in sacris poni sæpius.

Iam de carne Christi, quâ dicit, in mortem traditâ, vitam & salutem nobis progenitam esse, & sanguine fuso remissionem peccatorum. Si intelligat, ipsi carni & sanguini vim insitam fuisse divinitùs, effectus ejusmodi producendi, id nec litteris divinis, neque ullâ ratione firmâ docebit. Sin verò alias ob causas id morti Christi attribui, a sacris litteris agnoscit, nos socios habet, qui Christi morte, partam nobis remissionem peccatorum, & salutem quæsitam, docemus; verùm eatenus, quatenus per mortem illam consummatus, factus est causa omnibus sibi obedientibus salutis æternæ, ut divinè author ad Hebr: ait. Verùm hoc ab illâ potestate divinâ Iesu Christi manat, quàm cùm ille non sine morte consecutus sit, fit, ut quæ potestatis ipsius sint, morti interdum divina testimonia attribuant, divinis litteris admodum usitatâ figurâ. Non docuit itaque his exemplis Smiglecius, a corpore elementari, divinâ virtute aliquid supernaturale & divinum produci, quod tamen si docuisset, is illi labor adhuc supererat, ut per

Christi mortis vis.

Heb: 5. 9.

aquæ baptiſmum, divinâ virtute ſpiritualem generationem conferri demonſtraret. Ergò hoc erat ab initio agendum, illis omiſſis.

Ait deinde, me nõ intelligere, illos non affirmare, aquam in baptiſmo vi ſuâ naturali & propriâ efficere generationem ſpiritualem, ſed virtute ſpirituali ac divinâ, per ipſam operante. At cùm apertiſſimè in refutatione appendicis pag: 41. ea verba mea legantur: Nego res ſpirituales per corporea media nobis eo ſenſu, quo vult Smiglecius, conferri; nempè vi eorum dari nobis ſpiritualia, quemadmodum aquæ baptiſmi vi, vult nos regenerari. Nam nec naturâ eam vim illa habere certum eſt, nec illis inſitam divinâ inſtitutione docebit Smiglecius: quâ ratione objicit mihi, me illa non intelligere? Scilicet eam rem non intellexi, cujus probandæ, tibi Smigleci, ſummam neceſſitatem impoſui? Sed maluit pro ſuo more neceſſitatem probandi declinare Smiglecius, & reponere, me ſcilicet illa non intellexiſſe.

Smiglecii mos, in reſpondendo.

Explicat deinde, quemadmodum Deus per aquam agat, *ſive*, inquit, *aqua cenſeatur eſſe morale inſtrumentum*, &c. *ſive ſit per modum inſtrumenti Phyſici*, &c. *Utrovis enim modo res corporea ad ſpiritualem effectum adhiberi poteſt.* At prius docendum & probadum fuerat, Deum per aquam baptiſmi operari; tum modus operandi explicandus. Illo non approbato, quo fine iſthæc myſteria pandit Smiglecius? Deinde aquam eſſe Dei morale inſtrumentum, quæ Theologia, quæ Philoſophia docet? uti & illa, utrovis modo rem corpoream ad ſpiritualem effectum adhiberi poſſe? Sed rationem ejus rei affert. Quare ad eam attendamus. *Nam ſi*, inquit, *anima rationalis, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis, corpori communicatur, quidni virtus ſpiritualis rei corporeæ communicari poſſit?* At ratio hæc, communicari poſſe rem ſpiritulem cum corporeâ, docet; illud, effectus ſpirituales & divinos e rebus materiatis ſenſu carentibus produci, non docet.

Accuſat denique hîc craſſam ignorantiam meam, quod rem materiatam urgeam ſpiritualem non producere effectum, idque ad eum modum. *Etſi enim*, inquit, *id naturâ ſuâ non poſſit, poteſt tamen virtute divina*, &c. Si ipſe agnoſcit, vi ſuâ naturâ rem materiatam, effectum ſpiritualem non producere, cur me ignorantiæ craſſæ condemnat? ſi id efficiat virtute divinâ, ut ait, cur id non probat?

Rem materiatã, non producere effectus ſpirituales.

Sed pergit me non intelligentem oſtendere, dum ait: *me non ſolùm propoſitionem Chriſti non intellexiſſe, ſed & ineptam concluſionem ex eâ intuliſſe. Nempe ſi ex aqua ſpiritus naſci debet, neceſſe eſſe, ut vel aqua Spiritum S. ſignificet, vel in ſpiritum mutetur.* hæc Smiglecius. Atqui ex propoſitione hac Chriſti: Quod ex carne natum eſt, caro eſt, quod e

quod e spiritu natum est, spiritus est; apertissimè colligi, spiritualis generationis, non nisi spiritum causam esse, ostendi. Ergo hîc aquam, aut spiritum significare, aut in spiritum mutari. Non hoc, Ergo illud. Smiglecius hanc propositionem a me nec intellectam, & meam conclusionem ineptam vocat. Quid ita? *Quasi* inquit, *enumeratio sit sufficiens, & tertium quid adiici non possit, nempe si aqua, licet ex se caro sit, ex spiritu tamen vim habeat, ad spiritualem effectum producendum.* At Smigleci, quod est controversum, eo vis meum disjunctum suppleri, & quod non admittit Christi propositio, quæ dum, Quod ex carne natum est, carnem esse, & quod e spiritu natum sit, spiritum esse, asserit, ex carne spiritum, ut vicissim ex Spiritu carnem non nasci, prorsus ostendit. Vnde meæ argumentationis robur & firmamentum evidenter apparet, & eam esse firmissimam planum est, meque hîc gravissimam causam habere, cur Smiglecii & sociorum sententiam, quam ille veterum nomine palliat, repudiârim. Præterea quinám Philosophi, aut Theologi, carnem aquam vocavêre? Hanc ego corpus esse hactenus a Philosophis didiceram. At me etiam lepidum vocat, cùm ait, me affirmare, vocem aquæ, baptismum naturâ non significare. *Non enim*, inquit, *hoc contendimus, sed dicimus vocem aquæ, naturâ suâ aquam elementarem significare. Admissâ verò eâ significatione, consequenter dicimus, eam aquam, ex quâ, & spiritu regeneramur, esse baptismum aquæ.* hæc ille.

Spiritualis generationis, non nisi spiritum esse authorem.

Smiglecius novũ disputandi genus introducit.

Aquam corpus a Philosophis vocari, at non carnem.

At ursit Smiglecius, in verbis Christi non esse a propriâ significatione recedendum; excepi, in verbis Christi aquæ baptismum non esse expressum; Ergo incassum verborum proprietatem opponere adversarium. Ait nunc, aquam elementarem se urgere in Christi verbis agnoscendam; deinde, ea admissâ significatione, eam esse baptismum, ex quo regenerentur. At Smigleci, ego insto. Aqua propriè accepta, est aqua elementaris. Ergo aquæ baptismus, propriè ex voce aquæ, concludi nequit, nisi id aliunde pateat. Vides igitur, teipsum vocis proprietatem, quam prætendis, non servare. Quid igitur eâ te venditas? Viderint igitur alii, quam eâ in re lepidè agas.

Ex solius aquæ voce, aquę baptismum nõ colligi.

De loco Matthæi, in quo dicitur Christus in spiritu & igni baptisaturus, ait nos nullis rationibus nixos, spiritum & ignem pro eodem sumere. At vidit Smiglecius in refutatione Appendicis, nos id ex oppositione, quam Ioannes Baptista inter suum & Christi baptismum instituisset, planum fecisse. Deinde cùm Marcus iisdem, quæ Matthæus & Lucas, narrandis, ignis vocem omittat, & Ioannes munus Christi proprium baptisandi explicans, etiam ignem non addat, nonné a-

Spiritum & ignẽ pro eodem loco Matth: sumi. Marci 1. 8. Ioan: 1. 33.

pertissimum est, spiritum & ignem pro eodem ipsos intellexisse? Alioquin non omissurus id Marcus, & Ioannes additurus fuisset, si ignis a spiritu S. diversum quid denotaret. Postremò, cùm baptisare Spiritu sancto munus sit Christo proprium; & Christus effudisse Spiritum S. in suos sæpius, nunquam autem id in igne materiali fecisse legatur apparet, eo in loco, ubi Ioannes discrimen inter suum & Christi baptismum docere voluit, Spiritum S. & ignem pro eodem sumi. Expendat igitur cordatus lector, an sine ullâ ratione, spiritum S. & ignem, pro eodem in loco Matthæi accipiamus: & an nulla ratio adduci possit, ut ait Smiglecius, quæ cogat, ut per ignem Spiritus S. intelligatur. Prædictum porrò loco Matth: baptismum, illum Christi, Act: 1. explicare quamvis asserat, nec doceat Smiglecius, tamen id si verum esset, nostram sententiam, non autem Smiglecii, stabiliret. Nam si locus Matthæi per locum Act: 1. explicetur, & in loco Lucæ nulla sit mentio ignis materialis, sed tantùm spiritus S.; perspicuum est, per ignem in loco Matthæi spirirum S. intelligi, quemadmodum idem fusiùs in refutatione Appendicis pag: 47. docui.

At etiam ridiculè, ait, a me exigi probationem, quòd de igne externo locus Matth: intelligendus sit. At Smigleci, tu in tuâ Appendice, apud Matth: vocem ignis, ignem externum ita significare contendis, ut etiam ex eâ vocis significatione argumenteris. *Quemadmodum*, ais in appendice, *apud Matthæum, ignis nomine non spiritus S. sed ignis materiatus intelligitur, ita & apud Ioannem aquæ nomine* &c. Ergo ridiculè facio, cùm tuæ argumentationis tibi probandi necessitatem impono?

At rursus verba mea opponit? *Ait Mose: Act: 2. dicitur instar ignis, quo significatur non res, sed similitudo*, & respondet: *Quasi verò multum ad nostrum propositum referat, utrum ille ignis etiam fuerit verus, an ignis similitudo. Sive enim ob similitudinem, sive ob veritatem dicatur ignis, verum erit, spiritum S. descendisse in igne, & Apostolos spiritu S. & igni fuisse baptisatos.* At Smigleci, in appendice contendebas, ignem istum fuisse materiatum; & ex hoc, aquam etiam materiatam apud Ioannem esse, argumentabare. Ergò illud nunc ad propositum tuum maximè intererat, ut ignem illum materiatum fuisse probares. Sed cùm sentires, te id per imprudentiam scripsisse; nunc ita elabi vis, ad propositum, inquis, nostrum nihil referre, utrum ille ignis verus sit, an ignis similitudo. Tùm ais, seu verus ignis, seu per similitudinem, semper verum erit, Apostolos in spiritu S. & igne baptisatos, quasi verò, quâ ratione baptisati fuerint Apostoli, fuerit inter nos quæstio,

Smiglecius lapsũ renuit agnoscere.

Idem quæstionem non attendit.

non ve-

non verò de voce ignis, loco apud Matthæum prædicto, significatione. Sed ad statum quæstionis attendere inferiora sunt acumine Doctorali.

Denique, si ille ignis non fuit materiatus ignis, falsum asserit D. Doctor, Apostolos in igne baptisatos. At verò ait. *Hoc est igitur quo urgetur Moscorovius, quòd, cùm tam apud Matthæum, quàm in Actis cap: 1. discrimen inter baptismum Christi & Ioannis doceatur, nempè, quod Christus baptisaturus erat, non in aquâ solùm, sed & in spiritu S. qui baptismus præcipuè impletus erat in die Pentecostes, impletus autem cum igne, consequens est, Matthæum ad istum ignem respexisse. Duo enim loca scripturæ, cum de eadem re tractant, se ipsa optimè explicant.* At cùm Smiglecius, verbis Lucæ adactus, agnoscat, similitudinem illic ignis visam, non verum ignem, nempè igitur obtinui, ignem apud Matthæum non esse materiatum ignem, quod asserebat. Quo igitur me urgeri ait? eo, quod Matth: 3. & Act: 1. docetur de Ioannis & Christi baptismi discrimine? At illud non agnosco solùm, sed perurgeo, & Smiglecium addere de suo, quod Christus (in aquâ) baptisaturus esset. quemadmodum in Appendicis confutatione, ita etiam hîc, ostendo. Quod verò addit, duo loca, cum eâdem de re tractent, optimè seipsa explicare; quasi verò eadem de re non possint tractare divinæ literæ diverso respectu, atq; ad eum modum non seipsas explicare?

Ad aliam explicationem ignis istius, apud Matth: 3. affert, nempè ignem illum, in quo Christ⁹ venturus est ad judiciũ &c. At docendũ erat D. Doctori per ignem, loco Matthæi, ignem materiatum, in quo Christus in die Pentecostes suos baptisavit, quod in Appendice asserere non dubitavit, prorsus intelligi oportere; non ejusmodi subterfugia, nihil ad rem spectantia, quærenda. Ignis judicii, absumturus est adversarios; at spiritus, qui instar ignis apparuit, in illis, in quos effusus est, requievit, & miranda multa operatus est. Smiglecii subterfugium.

Pergit. *Huc accedit, per aquam regenerantem idem apud Ioannem intelligi, quod apud Paulum per lavacrum regenerationis & renovationis spiritus S. ad Tit: 3. 5. quod etiam Ephes: 5. v. 26. vocat lavacrum aquæ in verbo vitæ. Atqui in his locis dubium non est, Baptismum aquæ intelligi, cum idem sit baptismus aquæ, & lavacrum aquæ; & scriptura doceat, baptismum, quo salvamur, esse baptismum aquæ* 1. Pet: 3. &c. hæc Smiglecius. Atqui hæc omnia in refutatione Appendicis discussa sunt, quæ hîc regerit. Quod ad locum Petri attinet: ait quidem Petrus, nos Baptismum servare, verùm addit expressè, non depositio sordium carnis, sed stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum, per resurrecti-

surrectionem Iesu Christi, quod nihil ad aquæ baptismum, ut toties ostendimus. Adde, quod Baptismus, de quo Petrus ait, necessariò servet, quemadmodum arca, cujus est antitypus, omnes, qui in eâ fuerant, servaverat. At aquæ baptismo tincti, omnes impii perière, & quotquot tales fuerint, sunt perituri. Nam quod Baptismi aquam elementarem, ait, conscientiam mundare, hoc ipsum est in quæstione, nec probatum a D. Doctore. Quare temerè asseritur. Apostoli baptisarunt aquâ, pœnitentes, & Christi nomen professos, quæ in remissionem peccatorum instituta ab iisdem fuêre, seu a Domino tradita, & ab iisdem repetita.

Baptismi, cujus Petrus mentionẽ facit, & aquæ baptismi discrimen

Deinde ex eo, quòd Christus venerit, non solùm in aquâ & sanguine, Christum idcircò venisse in aqua, quod aquæ baptismum ad illos salvandos instituerit, colligit, & temeritatem pronunciat, quæ de lavacro & aquâ regenerante leguntur, nolle de aquæ baptismo intelligere.

At probandum est D. Doctori, Christum eò in aquâ venisse scribi, quod aquæ baptismum instituerit, cùm ego negem, aquæ baptismum, Christum instituisse. Deindè falsum est, aquæ Baptismum nos servare, cùm id verbo, fidei & conservationi præceptorum Christi, secundùm gratiam divinam tantùm literæ divinæ attribuant. Postremò, cum vis spiritualis nulla insit aquæ baptismi, divinâ institutione aut operatione, falsum est aquam baptismi elementarem nos regenerare. Sed accedit ad particulam nostrorum, quam refellat, cæteris pro suo acumine omissis: Ait igitur me errare toto cœlo, quod lavacrum in verbo vitæ, ostendam non accipi pro aquâ elementari. *Nam ait, nos dicimus etiam aquæ baptismum per verbum mundare, quia administratur in nomine Patris Filii & spiritus S.* &c. At D. Doctor errorem meum coarguere debuit, meæ sententiæ refutatione, non suæ expositione. Quæ tamen nihil est aliud, quàm petitio principii crassa. Nec enim docuit D. Doctor, nec docebit, si huic viæ, cui institit hactenus, institerit, in nomine Patris, Filii & spiritus S. aquæ baptismum, ab Apostolis administratum. Et locum quem hîc Hebr: 10. v. 12. affert, in confutatione Appendicis expendimus, ad quæ nihil reponit Smiglecius, nisi, non esse opus fingere metaphoras scripturæ incognitas, cum constet, aquam illam esse baptismi. Atqui hoc ipsum est in quæstione, an illa aqua, sit aqua baptismi materiata, quod Smiglecius, more suo, semper pro concesso sumit, & metaphoræ, quæ ex ipsis divinarum literarum testimoniis excipiuntur, & ab ipsa re, de quâ fit sermo, indicantur, non sunt illis incognitæ, sed notissimæ, uti patuit, & patebit amplius, opitulante Domino.

Modus Smiglecii in respondendo.

Caput III. inscribit Smiglecius.

Spiritus sancti divinitas a Moscorovii blasphemiis vindicatur.

DOMINO Doctori plasphemias crepare, easque aliis impingere mos est. Quid igitur homini isti facias, nisi ut optes illi mentem meliorem dari. Videamus porrò, quàm dextrè easdem probaturus sit. Sic igitur scribit: *Ait cum suo Socino Moscorovius, spiritum S. nec Deum esse, nec divinam personam, sed solùm quandam Dei virtutem.* Quid ita? *Nullis*, inquit, *in scripturis spiritus S. dicitur Deus. At quàm insulsa tantæ rei probatio? num enim de voce agitur, an de re?* hæc Smiglecius. Vt Smiglecii perpetuum morem in respondendo agnoscas, vide quē admodum agat. Asseruerat Skarga Iesuita, spiritum S. in divinis litteris dici Deum. Negavi, in divinis litteris uspiam spiritum S. Deum dici. Smiglecius, defensione Skargæ susceptâ, in Appendice scribit ad eum modum: *Ac ne alia scripturæ testimonia commemorem, ea tantùm afferam, quæ à Skarga Moscorovio objecta sunt* &c. interim ne unum quidem testimonium attulit, quo spiritum S. in divinis litteris dici Deum probaret. Hæc cùm illi in Appendicis refutatione objecissem, & divinum testimonium, quo id probaret, producere ex lege disputationis teneretur, ille me nunc ad eum modum argumentantem introducit. Spiritus S. non dicitur in sacris literis Deus, nec divina persona. Ergo neutrum est. Vide quâ arte D. Doctor impetum adversarii declinet. Is scilicet est Doctoralis disputandi modus, Smiglecio certè nimium familiaris. Sed attendamus, quemadmodum & ad eam argumentationem, quam mihi affinxit, respondeat. Quàm insulsa, inquit, tantæ rei probatio? At, si ea res sit ad salutem prorsus necessaria, Spiritum S. esse Deum, & deitatis personam, uti Smiglecius & socii docent, certè divinis testimoniis ea est probanda. Et si probari non possit, nullatenus admittenda, quicquid hîc D. Doctor cum sociis moliatur. At dum dicit, non de voce, sed de re hîc agi sanè ad ea quæ scribit, non satis attendit, cum enim τὸ ῥητὸν hîc urgeatur, quis non videt hîc de voce prorsus agi? Verumtamen videamus ut rem probet.

Ratiocinatio Smiglecii.

Sic igitur probat: Si omnia Spiritui S. tribuuntur, quæ Dei sunt, Spiritus S. Deus est.

At Spiritui S. omnia tribuuntur, quæ Dei sunt.

Ergo Spiritus S. est Deus.

Assumtionem probat. 1. Quòd in nomine spiritus baptisamur, in

mur, in remissionem peccatorum. 2. Quòd in nomine Dei tantùm, nec cujusquam alterius, peccata remittuntur &c. 3. Quòd templum habet, & in membris corporis nostri, tanquam in templo, habitet. 4. Quòd omnia sciat, omnia possit, omnia creaverit, ubique sit, immensus & infinitus 1. Cor. 2. v. 11. 1. Cor: 12. v. 11. Psal: 32. Psal: 138.

Refutatio illius. Admitto hypothesin connexi. Nego assumtionem. Nec enim enumerationem sufficientem Dei attributorum continet, etiamsi illa vera essent, quæ hîc attribui spiritui S. asseverat, multò verò minus, cum enumerata non sic se habere, partim ostensum sit, partim ostendetur. Non esse verò sufficientem enumerationem hinc liquet. 1. Non tribuuntur spiritui S. eum esse Patrem illum, ex quo omnia, quod uni Deo tribuunt sacræ literæ. Item, non tribuitur spiritui S. spiritum S. filium unigenam habere, quod Deo altissimo tribuunt sacræ literæ; Non tribuitur spiritui S. ab eo procedere spiritum S. Non tribuitur spiritui S. in divinis adoratio, quam Deo, etiam Christo, tribuunt sacræ literæ. Non tribuitur spiritui in divinis invocatio, quam Deo, etiam Christo, tribuunt sacræ literæ. Non tribuitur Gratiarum actio, quam Deo & Iesu Christo, etiam tribuunt divinæ literę. Quin, vestrâ sententiâ, non tribuitur spiritui S., illum, esse fonrem & principium totius divinitatis, quod tamen uni Deo attribuendum esse, ipsa ratio suadet. Ergò apparet, Assumtionem consistere non posse. Præterea, illa, quæ enumerat Smiglecius, de baptismo in nomine spiritus S. in remissionem peccatorum, & neminem nomine suo remittere peccata nisi sit Deus, refutata sunt superius; uti & hæc, quæ de templo, quæ de scientia spiritus S. apud Paulum docentur. Ex eo vero, quod omnia possit, spiritum S. esse deitatis personam, non efficitur, cùm Dei virtus omnia possit, nec tamen sit persona, eadem Dei virtus potest dici omnia creasse, esse immensa, infinita, quemadmodum & sapientia Dei, bonitas &c. & tamen adversarii propterea non agnoscunt illas esse personas, licet e locis citatis, nullus sit, qui spiritum S. vel infinitum, vel immensum esse, vel omnia creasse, demóstret. Ad Paulina testimonia ex epistola ad Corinth: adducta, respondimus superius, in Psalmis citatis, nihil tale habetur. Ergò rem, quam voluit contineri in sacris literis, non probavit Smiglecius.

1. Cor: 8. 6.

Ioan: 3. 26. 15. 26.

Apoc: 5. 13.

2. Thes: 3. 11.

Apoc: 5. 8.

At redit ad se, & Dei nomen attribui spiritui S. in sacris litteris demonstrat. Sic enim ait: *At si Dei nomen, tributum spiritui S. requirat Moscorovius, habet illud Act: 5. ubi, cùm Ananias mentitus esset spiritui S. ait Petrus: Non es mentitus hominibus, sed Deo. Deus ergò dicitur spiritus S.* hæc ille. At in Græcis exemplaribus, Ananiam non spiritui S. sed spi-

sed spiritum S. mentitum, habetur, ob idq; non hominibus, sed Deo mentitum esse, cujus spiritu, hypocrisim suam velatâm voluisset. Ergò falsò colligit Smiglecius, spiritum S. in divinis literis Deum dici. Atq; etiâsi lectio hujus loci, qualis in vulgata habetur, admitteretur, nihilominus Smiglecius, spiritum S. hîc dici Deum non demonstraret. Nam qui spiritui S. mentitur, & potest & debet admitti, cum Deo mentiri, siquidem spiritus S. est Dei spiritus. At ex eo ipso apparet, spiritum S. dici Deum hoc loco non posse doceri; quod tamen non collectione, sed verbis expressis, docendum sibi ex hoc loco proposuerat Smiglecius.

Pergit: *Iam si respondeat Moscorovius, cum ea, quæ Dei sunt Spiritui S. tribuuntur, tunc spiritum accipi, pro ipso Deo, refelli e scripturis poterit, quæ spiritum illum Dei qui in Deo est &c. dicunt a Patre dari, mitti, procedere.* hæc ille. At Smiglecius, responsione nostrâ & illius occasione omissâ, qui mos illius est, confictam a se objectionem substituit. Ad argumentum ex attributis spiritus S. ductum, inter alia respoderam. Mirum nihil esse, spiritui S. quasdam operationes divinas attribui, cùm Dei spiritus sit, quemadmodum bonitati aut virtuti Dei operationes etiam divinæ attribuantur eò, quòd illa bonitas & virtus, Dei sit. Hoc erat si videbatur, refellendum, illa omissa objectione, tantum ab oratione adversarii aliena.

Deinde cùm Smiglecius, spiritum S. datum, missum, procedentem, non demonstret posse esse eum, a quo mittitur, detur & procedat: & literæ divinæ, a Deo dari spiritum S. Act: 5. v. 31. & mitti a Deo Gal: 4. v. 6. doceant, nonné hac ex illatione Smiglecii, consequetur illum datum & missum spiritum, non posse eum Deum, quò ad naturam esse, a quo mittitur & datur? Nam in dando, mittendo, motus est. At Deus ille, omnis motus, ut naturalis, ita divini, solus prima causa est.

Deus ille unus, solus rerum omnium causa.

Præterea, cum Smiglecius nunc, & eundem spiritum dari, qui in Deo est, & antea spiritum S. esse totam & perfectam Dei essentiam, uti vidimus, docuerit, consequetur ex his ipsius dogmatis, essentiam perfectam Dei dari, & cùm idem Spiritus per partes distribuitur, duplicetur, eandem Dei essentiam per partes distribui, & duplicari, ac proinde partibilem fore, eandemque multiplicatum iri, & cùm idem spiritus auferatur, ipsam Dei essentiam auferri. Vnde essentiam Dei, ab aliâ causâ, si dogma Smiglecii valebit, etiam dependere oportebit. Vide quò nos agat Smiglecii Theologia.

Pergit, & spiritum S. largitorem omnium bonorum, in Deo esse substantialiter, loco ad Rom: 5. probat, in quo dicitur, charitatem

Dei diffusam in cordibus nostris, per spiritum S. qui datus sit nobis. At dum probat Smiglecius, spiritum largitorem bonorum in Deo esse substantialiter, operam inanem ponit. Quis enim nostrum negat, spiritum S. in Deo esse substantialiter? licet locus a Smiglecio citatus nequaquam id probet, sed illum spiritum qui charitatem, in corda piorum effundat, a Deo dari tãtum docet. Et cum omnia a Deo dari constet. num illa omnia substantialiter inesse Deo, dicet Smiglecius? Quod verò datum spiritum S. distinctum a Deo, non naturâ, sed personâ ait, nuda est assertio, ac proinde crassa principii petitio. Etenim donum a doni datore naturâ differre, certissimum est, cùm nec dator idem, quod donum, nec donum, idem quod dator, esse possit. Spiritum verò S. personam quod inde extruat, quod nos in spiritus S. nomine baptisemur, quàm infirmum sit, superius docuimus.

Donum a doni authore naturâ differre.

Verùm jam ad argumenta mihi a Skarga objecta, quæ ego scilicet eludam, accedit.

Primùm igitur ponit, quod breviter ita comprehendi potest.

Quidquid est in Deo, Deus est.
Spiritus S. est in Deo.
Ergo Deus est.

At Skarga non ita argumentatus est; sed ex eo, quod Spiritus S. esset in Deo, ipsum esse personam Deitatis tertiam colligebat: cui, cùm opposuissem, in Deo esse attributa essentialia, neque tamen esse personas. Smiglecio, qui Skargæ patrocinium suscepit, docendum fuerat, instantiam a me oppositam, non infringere vim argumenti Skargæ: at ille novum argumentum format, quod spiritum S. esse Deum monstret. Sed non eâ de re quæstio est, an spiritus S. quemadmodum alia attributa Dei essentialia, dici possit Deus, quod argumentatio præsens Smiglecii vult concludere: sed an spiritus S. sit divinitatis persona. Eâ enim de re inter nos est quæstio, non autem de divinitate spiritus S. simpliciter. Atque cùm in eo desudandum esset Smiglecio, ille quęstione principali omissâ, decurrit ad illa, quæ non multùm ad eam quæstionem faciunt, eo fine, ut nobis suæ eruditionis explicet mysteria, & nos, quos ille in quavis responsione magno supercilio despicit, in admirationem sui rapiat.

Status cõtroversiæ de Spiritu S.

Quia dixeram, istud eorum pronunciatũ, Quicquid est in Deo, Deum esse, divinis testimoniis demonstrandum esse; & illi opposueram, Decreta Dei fuisse in Deo, neque tamen esse Deum; quæ fuisse in Deo, cum Dei actiones fuerint, nec tamen essentiam Dei, cum illius effecta fuerint, pateret, alioquin idem suiipsius causam & effectum

ctum fore, quod contradictionem involveret; ad hæc Smiglecius exclamat. *O præclarum Theologum! An non crassa & Deo prorsus indigna est hæc de Deo existimatio? Quid ita? Quia Deum*, inquit, *ita sua decreta efficere putat, sicut homines, nempe producendo in se ipsis actus, qui sint res ab essentiâ diversæ, & accidentia essentiæ:* tum subjicit, *Deum accidentia non recipere, id enim simplicitati & omnimodæ perfectioni ipsius repugnare. At si decreta Dei sint res ab essentia diversæ, accidentia procul dubio erunt.* &c. hæc ille. At non exclamatione, sed rationum solutione, hîc opus erat. Nam inconvenientia quæ affert, rationes meas non tollunt. Nec enim multiplicare, ut ajunt, incommoda, est solvere argumentum. Hoc etsi satis erat ostendisse, ne tamen D. Doctori similes hac in parte videamur, etiam hæc illius incommoda expendemus. Atque illorum arcem primùm aggrediemur, quâ in fronte D. Doctor constituit. Sic igitur argumentatur:

Argumentatio Smiglecii.

Si Dei decreta non essent essentia Dei, essent Dei accidentia.
At Deus nulla potest recipere accidentia.
Ergo decreta Dei sunt ipsa Dei essentia.

Nego assumtum. Etenim decreta in Deo fuêre, de Christi nativitate, morte, resurrectione, exaltatione & aliis innumeris rebus. Quæ decreta amplius in Deo non esse, hinc apparet: Quòd, ut Christus nascatur, moriatur, resurgat, exaltetur, amplius non decernit Deus. Ergo talia decreta, instar accidentium in Deo existere ante completum tempus, quæ nunc non existant, modo tamen divino oportuit. Adde, quod etiam Dei decreta, contrariis, ad quæ feruntur, objectis, apertissimè discrimi nantur; uti sunt decreta servandi, perdendi, eligendi, reprobandi; & sic de cęteris completis. At Dei essentia semper eodem modo se habet, nihil contrarium, immo nec reipsâ diversum, esse in eâ potest. Vnde apparet, decreta Dei, non esse Dei essentiam.

Decreta Dei non esse substantiam Dei.

Præterea, cùm decreta Dei pendeant a causâ voluntariâ, videlicet a Dei liberrima voluntate, non possunt simpliciter æterna dici, quemadmodum Scaliger Philosophus acutissimus ingeniosè differit. At substantia Dei, simpliciter æterna est, quæ, ut nunquam cæpit, ita nunquam terminabitur. Denique si in Deum nullum cadit accidens, cur ad preces piorum, etiam rerum ipsarum, quibus legem ipse posuit naturam mutat? Divisit mare ad preces Mosis: cursum solis ad preces Iehosue inhibuit; pluviâ per tres annos & menses sex ad preces Eliæ cohibuit; ignis vim ad preces in caminum conjectorum repressit, ne alia quàmplurima commemorem. Idem voluit Israelitas exterminare, Mosis precibus illis pepercit. Cur idem, in-

Exod: 14. 15, 16.
Iehos: 10. 12, 13.
1. Reg: 17. 1. Iac: 5. 17.
Dan: 3. 25.
Num 14. 12. & 20. Ibid: 18.

quam, in literis divinis, prædicatur ad iram tardus, ad misericordiam pronus? cur idem in quartam generationem punire se impiorum posteros, in mille generationes piorum posteritati bene facere testatur? Ea certè de Dei substantiâ, quæ nec variari, nec mutari, neque intendi ullo pacto potest, nulla ratione, nullo respectu dici queunt. Postremò cum Smiglecius neget ulla in Deum cadere accidentia, cur idem humanam naturam a Deo assumptam, & Deum hominem factum docet? Certè quocumque se vertat, id Deo accidisse in ejus persona, quod antea non habuit, illi prorsus fatendum est.

At assumtum probat Smiglecius, idque hac ratione. *Si in Deum cadunt accidentia, non erit ex se aut omnimodè perfectus, aut immutabilis. At est omnimodè perfectus, immutabilis. Ergò accidentia non cadunt in Deum.* Nego hinc consequi, Deum ex se fore imperfectum, aut mutabilem quò ad naturam, si in eum cadant accidentia. Nam tollere Dei perfectionem, esset bona eminentissima naturæ Dei convenientia atque debita, aut inducere prorsus & obliterare, aut aliquid ex illis detrahere, aut defectum aliquem illius naturæ attribuere velle. At nihil horum fit, si decreta Dei, accidentium loco, in Deo statuantur; Etenim, si decreta hominis, & dum decernuntur, & dum animo insunt, nihil de substantiâ hominis nec de ejus perfectione detrahunt; Decreta Dei, sive dum decernuntur, sive dum in voluntate Dei existunt, de substantiâ Dei detraherent? Atq; ut non imperfectus propterea Deus, ita nec mutabilis. Decreta hominis, substantiam hominis non mutant, cur Dei mutarent? Præterea, cùm ipsa Dei decreta mutentur, nisi necessitas ex obligatione Dei intervenerit, uti decretum de cultu legali, cui cultus successit Evangelicus, & alia sunt documento; apparet eadem Dei substantiam, quæ nunquam mutetur, nec mutari possit, non esse. Quare quę hîc Smiglecius ad asserendam Dei naturam immutabilem, ex divinis literis affert, ad rem non faciunt. Nam extra statum sunt controversiæ, qui in eo vertitur, an, si decreta Dei, in Deo instar accidentium esse statuantur, Deus naturâ mutabilis statuatur, nec ne: non verò an sit immutabilis naturâ, quod ego non solùm fateor, sed etiam contendo.

Deus naturâ prorsus immutabilis.

Secundò, affert probationem assumti, quæ ad eũ modum comprehendi potest. Si decreta Dei essent accidentia, scientia & voluntas Dei esset accidens in Deo. At hoc nihil falsius. Ergò decreta Dei, non sunt accidentia. Consequens probat. Quòd nihil aliud sint decreta Dei, quàm scientia & voluntas divina. Deinde incommodis quæ an-

Smiglecii rationes breviter cõprehensæ.

quæ antea attulit, repetitis, idem docere vult, divinam essentiam ex se imperfectam atque inopem fore, & perfectionem scientiæ ab accidentibus sumpturam. Denique, si attributa essentialia etiam sint idem cum essentiâ, cur non decreta Dei nihil a scientiâ & voluntate Dei diversa, non censeantur idem cum essentiâ?

Hæc succus sunt, horum, quæ hîc affert Smiglecius, ad quæ ordine respondeo. Nego igitur consequens connexi Smigleciani. Nec probatio Smiglecii consequentiam docet, cum sit crassissima principii petitio. Etenim hoc probandum est, quòd hîc asserit Smiglecius. Decreta Dei esse scientiam & voluntatem Dei, non nudè asserendum. Sed is D. Doctoris mos est, ut assertiones subindè repetitas, loco probationum adversario reponat.

Refutatio rationum superiorum

Quòd ad secundam rationem attinet, essentiam Dei inopem & imperfectam futuram, si perfectionem suam ab accidentibus mutuaretur, id quidem non consequi demonstravimus; & ad rationem nunc allatam respondemus. Ab operibus suis Deus, quæ nihil aliud sunt, quam Dei decretorum executio, nihil perfectionis, quò ad essentiam, accipit. Ergo nec a decretis operum divinorum causis. Nec enim, introducto in terram promissam Israële, Deus per naturâ magis Deus erat antequam illum introduceret, nec minùs Deus, itidem per naturam erat, cùm eundem ex eadem expelleret. Quamobrem nec decretis, de iisdem Deo quicquam accessit, vel decessit. Doceri itaq; nequit, ullius imperfectionis essentię divinæ, aut inopiæ, divina decreta, si esse in Deo instar accidentium statuantur, argumenta esse.

Vt ab operib: ita nec a decretis Dei, quicquâ perfectionis, quò ad essentiâ Deo accedere.

Tertia ratio est, cùm attributa essentialia sint Dei essentia, cur non decreta? Respondeo, quia decretorum, & attributorum essentialium Dei, est dispar ratio. Nam de attributis essentialibus Dei, nunquam hoc dici potest, quod de Decretis Dei dicitur. Cessarunt quædam decreta Dei, ut de Ægyptiaca Israëlis servitute, Captivitate Babylonica, Christi morte. &c. At essentialia Dei attributa, nunquam in Deo desiere, nunquam desinunt neq; in æternum desinent. Quod verò idem Smiglecius ait, Alienum esse a vera Theologiâ, decreta Dei esse effecta divinæ essentiæ; hæc oratio rem exaggerat, at rationes non refellit. Ego enim insto; sunt effecta essentiæ Dei. Vi enim illius fiunt. Ergo non ipsa essentia Dei. Nec enim effectum sui ipsius effectum esse potest, æternâ contradictionis lege vitante. Sed ejus rei rationes affert. At prius erant meæ repellendæ, quòd Smiglecius directè rarissimè facit, deinde argumenta nova opponenda. *Decreta Dei non esse accidentia, quæ à Deo effici debeant*, ait, *neq; si efficerentur, sine mu-*

Dei decretorum, & attributorum essentialium, ratio dispar.

Dei decreta, effecta essentiæ Dei esse necesse est.

ne mutatione eſſentiæ divinæ effici poſſent, immò ſcientiam & voluntatem Dei eſſe decreta Dei, nec Deus eſſet ſuũ velle, & intelligere, quod nec Ariſtoteles, nec alii Gentiles Philoſophi negare ſunt auſi. Atqui jam hęc propoſuerat paulo ante; Cur igitur eadē toties regerit? Ad quæ, & ſi reſpondimus, tamen ut amplius Smiglecio ſatisfiat, iterum ex Apoſtolo reſpondemus. Sic igitur ille: *Mihi*, inquit, *minimo omnium data eſt gratia hæc, in gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ diſpenſatio miſterii abſconditi a ſeculis, in Deo.* Ergo decretum vocationis Gentium, quod hîc myſterium vocat & a Deo factum, & in Deo a ſeculis abſconditum fuiſſe, apertiſſimè Apoſtolus teſtatur. At illud non extitiſſe in Deo, ut ſubſtantiam, manifeſtiſſimum eſt, ex ipſo decreti hujus effectu. Ergo ut accidens, modo tamen divino. Idem Apoſtolus ait, vitam noſtram abſconditam cum Chriſto in Deo. At vita hæc non eſt in Deo, ut ſubſtantia. Nam cùm piis dabitur, non erunt Deus ipſe, ſed ut alibi docetur, Deo ſimiles. Quamobrem ut accidens. Ergo divinarum literarum teſtimonio, fiunt a Deo decreta, & ſunt in Deo. Vnde illatio, cùm non ut ſubſtantia, certè ut accidens, evidentiſſima. Nec verò, ſi hæc decreta fiant, tanquam accidentia, Deus ipſe, quòad naturam mutatur: Decreverat Deus circumciſionem, eandem idem Deus ſuſtulit. Et hoc idem ſemper Deo liberum, niſi neceſſitas ex hypotheſi, & illius promiſſio interceſſerit. Nũ in Dei ſubſtantiâ aliqua mutatio hinc facta? Minimè. non minus ac in hominis ſubſtantia, dum hoc vel illud decernit, & jam hoc, jam illud vult, vel non vult. Eſſe verò decreta Dei, voluntatem & ſcientiam eſſentialem aſſerit, non probat Smiglecius, nec probabit. Deniq; quæ affert ex Ariſtotele, Deum eſſe ſuum velle & intelligere, quatenus hæc in Deo, tanquam attributa eſſentialia, ſpectantur admitti poſſunt, at non quatenus conſiderantur tanquam effectus, qui ab illis emanant.

Smiglecius eadē regerit.

Epheſ: 3. 9.

Col: 3. 3.

1. Ioan: 3. 2.

Decreta Dei, a Deo fieri.

At jam Smiglecius me adoritur, & ait me ipſum evertere, dum decreta Dei in Deo increata agnoſco. Quid ita? *Quia Deus nullius rei materia eſſe poteſt. At quæ facta ſunt, ex materia fieri oportet, ergo nihil, quod factũ eſt, in Deo eſſe poterit.* Fateor, Deum nullius rei materiã eſſe poſſe. Decreta autem Dei, dum in Deo ſunt, nego, ex ullâ materiâ fieri. Actiones enim ſunt voluntatis & ſapientiæ Dei. Etenim ſi ens rationis, dum fit & eſt in homine, nullam materiam requirit, multò minùs decreta Dei, dum fiunt & in ipſius voluntate recluſa manent.

Decreta Dei, non fieri ex ulla materia.

Addit deinde, me non intelligere, quomodo decreta Dei ſint in Deo, nec ſint eſſentiæ ipſius effecta, quæ, inquit, Theologi ipſorum expli-

explicant subtilissimè. *Etenim*, ait, *cùm certum sit, Deum nullis accidentibus, quæ ipse in se efficiat, esse subjectum, certum quoq; esse volunt, Decreta divina nec esse accidentia, nec effici a Deo.* hæc ille. At Theologorum istorum subtilitate, nisi aut divinis testimoniis, aut rationibus evidentissimis nitatur, sciat Smiglecius, Moscorovium non moveri. Nam quod asserunt isti Doctores, Decreta divina a Deo non effici, idque certum esse volunt, divina testimonia refellunt, quæ decreta facta a Deo testantur, dum Deum præfinivisse, elegisse &c. apertissimè tradunt. Vnde etiam necessariò infertur. Decreta Dei non esse Dei substantiam. Nec enim hæc fit a Deo, neque facta esse a Deo, a quoquam, nedum a spiritu divino, dici potest. Patet igitur, illa esse accidentia, ac proinde incertum esse, quod Doctores isti certum esse volunt, in Deo nulla prorsus esse accidentia. Aliud placitum Doctorum suorum profert Smiglecius. *Aiunt, nulla re nova Deo accedente, Deum liberè decernere hoc vel illud, nec mutatione voluntatis, sed liberâ terminatione ad hoc vel illud obiectum, de quâ re scripta eorum (si discere cupit, atque in hac materiâ sapientius loqui) consulat Moscorovius. Neque enim id a Racovienſibus suis facilè addiscet.* hæc ille. At si isti Doctores admittant, Deum decernere liberè; iidem admittant necesse est, Deum illa, quæ decrevit, potuisse non decernere. Hæc enim natura libertatis est. At in Dei natura, absoluta necessitas est. Deus non potest efficere, ut sapiens, verax, rectus, æternus &c. ne ad momentum quidem esse desinat. Ex hac igitur libertate decernendi, patet, decreta Dei, non esse Dei naturam. Voluntas quidem Dei non mutatur, quatenus & Deo naturalis est, & Deum ipsum objectum habet: at eam mutari divinæ literæ, quatenus objecta extra se respicit, ostendunt. Iam enim Israelem perdere vult Deus, jam illi ad preces Mosis ignoscit.

Libertatis ingenium.

In natura Dei, absolutam necessitatem esse.

At quòd me ad Doctores ablegat, ut ab iis de rebus hisce erudiar, esset cur D. Doctori gratias agerem, nisi cum tanto supercilio id faceret. Ita enim votum meo suum aggregaret, qui indies sapere meliùs desiderem. At idem, si, quæ scribit adversum nos, paulò accuratiùs recognosceret, ita magnificè de se sentiendi, & adversarios tanto fastu despiciendi, nullam se habere causam facillimè perspiceret.

Pergit, *mihi satis est, ostendisse, sine ullâ effectione id fieri, sicut nec Deus, cùm aliquid cognoscit, aut vult, efficiendo cognitionem aut voluntatem id facit, sed ipse est suum velle, suum cognoscere.* At quàm verè glorietur D. Doctor, se id ostendisse, e superioribus liquet. Nec verò cognoscendo aut volendo, efficere Deum voluntatem aut cognitionem, essentialem puta, quisquam asserit, sed quatenus illa sunt essen-

tialia Deo, eatenus Deum esse suum velle, suum cognoscere: at non quò ad illorum effectus, ad quos extra Deum feruntur, uti superiùs docuimus. Quæ toties repetere fastidit animus. Sed quid agas isti scriptori, qui tavtologiis perpetuis sua complet.

Tavtologia Smiglecii.

Sed progreditur: *At, inquit Moscorovius, illam propositionem non esse Prophetarum & Apostolorum: Ineptè sanè, quasi, quod ex iis, quod prophetæ & Apostoli de Deo docuerunt, necessariò deducitur, non in Apostolos & Prophetas referri debeat.* At vide quàm aptè respondeas. Hanc tuam propositionem authoritate Theologorum confectam voluisti. Opposui tibi, me Prophetas & Apostolos Domini, pro primis & solis summis Theologis agnoscere. Quare, si horum authoritate propositionem tuam approbasses, eam me admissurum. Tu respondes, etiam illa, quæ necessariò deducantur e Prophetis & Apostolis, esse ad illos referenda. At hoc ipsum verbis, quæ recitavi, urgeo ego, & nosti optimè, nos omnia quæ e Prophetis & Apostolis necessariò deducantur, amplecti, iisq; acquiescere. Ergò sine causa, talem exceptionem opposuisti. Vter igitur nostrum ineptè sese gesserit, lector eruditus judicet.

Smiglecii tergiversatio.

At ais, te ex immutabilitate & perfectione Dei, eam propositionem ostendisse. At quam hoc verum sit, e superioribus patet. Nihil enim imperfectionis in Deo, nihil mutabilitatis, quò ad ejus substantiam statuetur, etiamsi hæc propositio non admittatur, quicquid in Deo est, simpliciter Deum esse.

Pergit, *Ad quod etiam facit, quòd S. Ioannes dicat, Deum esse charitatem 1. Ioan. 4. v. 8, 9, 10. quo loquendi modo charitatem, indicat, non esse accidens, sed ipsam Dei essentiam. Non enim accidentia affirmare de subjectis eo modo possumus. Nunquam enim dicimus, homo est albedo, sed homo albus. At Deus dicitur ipsa charitas.* Rem Smiglecii nudè & succinctè proponamus. Accidentia non dicuntur de subjectis in abstracto. Deus dicitur charitas in abstracto. Ergo charitas in Deo, non est accidens. Subsantia igitur. Major falsa, Dicitur Christus lux. Dicuntur etiam ejus discipuli lux; dicuntur homines tenebræ &c. Quare ruit tota argumentatio. Cur verò in abstracto dicatur Deus charitas, causam ejus rei explicat Ioannes, nempe, quòd filium unigenam miserit in mundum, ut vivamus per eum. Citat quidem Smiglecius versum 9. ad sua comprobanda, sed quo fine? cùm eodem versu aliud nihil contineatur, quàm ejus rationis redditio, cur Deum charitatem vocaverit. Citat etiam 10. qui & ipse tantùm exaggeratione charitatis Dei comprehendit, eâ in re, quòd non

Ioan. 1. 7. Matth. 5. 14. Ephes. 5. 8.

nos De-

nos Deum, sed Deus nos dilexerit, supple, prior, quemadmodum v. 19. explicat. Quamobrem non concluſit Smiglecius, charitatem esse Dei substantiam. At nostra oppugnat: *Nam quod Moscorovius exponit charitatem Deum dici, quia nobis charitatem, mittendo filio suo, demonstravit, id minimè satisfacit, sed majus quid de Deo innuit Ioannes, nempe, esse charitatem seu essentiam ipsam charitatis & bonitatis* &c.

Scripseras, Smigleci, charitatem Dei esse Deum; excepi, est opus liberrimæ Dei voluntatis, uti ex ipso Ioanne patet; non igitur Deus ipse. Respondes, non esse satis, charitatem Deum dici, quia nobis charitatem mittendo filio demonstravit, sed altius quid Ioannem innuere, nempè Deum esse essentiam charitatis & bonitatis. At unde id probas? hoc tibi probandum fuit. Ais id innuere Ioannem? At hoc ipsum in quæstione est. Nego Ioannem usquam id innuisse, sed quod explicavit, non innuisse solùm, verùm etiam apertissimè significare voluisse, contendo. Id verò est, charitatem Deum dici, quod filium charissimum nostri causâ miserit. Deinde addo, si Deus per naturam charitas esset, neminem puniret unquam. Etenim contra naturam suam nunquam agit Deus. In minimo, Deus mentiri aut desipere &c. non potest. Quia per naturam verax & sapiens est.

Quo sensu dictus sit Deus, a Ioanne charitas.

Pergit in nostris oppugnandis: *scribit, quædam attributa Dei esse essentialia, me statuere, quædam verò dari, quæ non sunt essentialia* &c. tum respondet, *me rem involvere. Nec enim hîc agi de attributis Dei, quæ per merè extrinsecam a rebus creatis denominationem Deo competunt* &c. *Sed sermo est de iis attributis, quæ continent perfectionem reipsâ in Deo existentem* &c. hæc ille. Scripserat Smiglecius in Appendice: si charitas, quod Dei attributum est quoddam, ita est in Deo, ut sit ipse Deus, cur idem de cæteris attributis non credamus? Respondi, quia attributorũ Dei dispar est ratio. Attributa Dei essentialia ea sunt, sine quibus esse non possit ullo modo Deus: at attribui a literis divinis alia Deo, sine quibus & fuerit, & esse possit Deus. Smiglecius, cùm illi docendum fuisset, si sua defensa voluit, Omnium Dei attributorum parem esse rationem; cùm ex charitate Dei, idem de omnibus colligat atque decernat, dicit, hîc non agi de attributis, quæ per extrinsecam denominationem a rebus creatis Deo competunt, sed de iis, quæ continent perfectionem in Deo. At, Smigleci, declinas impetum, non repellis directè. De eo agitur, an omnium attributorum par sit ratio, quod tu ex charitatis attributo decernebas, & tibi hoc probandum fuerat. Quid igitur, ut id declines, aliud obtrudis? Vide an

Smiglecius aliud pro alio obtrudit.

tu ipse rem non involvas,ita respondendo. Scribit ulteriùs,me asserere,Decreta Dei,non esse attributa Dei essentialia,& ait,distinguendum hîc esse. *Nam secundum perfectionem,quam dicunt in Deo,sunt essentialia Deo,& sine his esse Deus non potest: secundùm verò terminationem & extensionem ad hoc & illud objectum &c. ita non sunt essentialia Deo.* At, inquam, Decreta Dei, ponere aliquam in Deo perfectionem, & esse essentialia Deo,qua ratione subsistet? cùm& semper ad ea ferantur,quæ extra Deum sunt, & a causâ voluntariâ dependeant.

Occinit deinde illud toties repetitum; Decretum divinum esse sapientiam & voluntatem Dei; at cum sit effectum sapientiæ & voluntatis Dei, ut hoc subsistet, quod tam crebro regerit Smiglecius? Repetit deinde eadem, paulò latiùs, quæ antea dixerat; *cùm decretum Dei non nudè voluntatem & sapientiam Dei designet, sed cum respectu & extensione ac determinatione ad hoc vel illud objectum creatum, quem respectum & extensionem potuit non habere divina voluntas (liberè enim extenditur ad quævis objecta creata) idcirco quo ad hunc respectum & extensionem, decretum divinum non est attributum essentiale. Quocirca secundùm quod ponit in Deo, est attributum essentiale, & idem quod essentia divina: secundùm id verò,quod dicit extensionem & terminationem voluntatis divinæ ad objecta creata &c. non est essentiale Deo.* hæc ille. Recitavi Smiglecciana paulò pleniùs,quæ toties repetit,ut ista mysteria, eruditus lector, eò perpendat accuratiùs. Ait igitur Smiglecius; Decreta Dei, quatenus respectum habent ad objecta creata, non esse Deo essentialia; At,quatenus inDeo ponunt perfectionem,esse Deo essentialia. At,cùmDeus de se nihil prorsus decernat,sed de illis,quæ extra Deum sunt; respectum semper ad illa, quæ extra Deum sunt, habere decreta Dei, certissimum est; Et cùm decreta scribat Smiglecius, non nudè voluntatem & sapientiam Dei designare, sed cum respectu &c. ad hoc vel illud objectum &c. ad quod liberè extendatur: agnoscat idem,Dei naturam,decreta esse non posse;quæ ita facta sunt, ut potuerint non fieri. Quæ de Dei essentia,vel cogitare nefas est. Quapropter, dum præjudicatam opinionem suam, a suis Magistris haustam, tueri vult, imprudens illam evertit; &, dum nudè voluntatem & sapientiam Dei, decreta Dei non designare fatetur, ea, ex quibus decreta Dei,non esse essentialia Deo manifestissimè evincitur,apertissimè dicit,atque hoc loco sibi ipsi contradicit,qui antea decreta Dei voluntatem & scientiam Dei, simpliciter esse asserebat. Infert deinde: *ex quo patet, nullius momenti esse instantiam Moscorovii de divinis decretis.* Immò verò ea est instantia Moscorovii,quam Smigleci

Decreta Dei, illa tantùm, quę extra Deum extent, respicere.

glecii rationes nullo modo labefactârint, & quam etiam dictis Smiglecii fulciri & approbari ostensum est.

Pergit, & meam ignorantiam eamque duplicem accusat, qui dixerim, decreta Dei non pugnare cum simplicitate Dei, si decreta Dei, non esse idem cum essentiâ Dei statuantur. *Primùm, quòd negem, quod luce clarius est, & quod ab omnibus admittitur, non admittam.* At hæc oratio est, non ratio. Nec Smiglecius unus, omnium nomine censetur. Nec quod scholastici sentiunt, & aliqui Monachi sensêre, omnium nomine dotari debet. Nec ut omnes ita senserint, propterea verum est. Nec enim multitudo errantium, errori parit patrocinium. Sed rationem a se antea allatam repetit, Si Dei decretum, sit res a Deo distincta, & tamen insit Deo, quis non videt, Deum fore compositum ex substantia suâ, & re sibi adveniente. Atqui respondemus, quæ non sunt in subjecto tanquam pars, iis simplicitatem subjecti nullo modo tolli; qualia cùm sint decreta in Deo, antequam in actum veniant, illa simplicitatem Dei, quò ad essentiam, ne tantillum quidem imminuent. Alteram, quâ ignorantiam meam ostendat, rationem affert. *Si Deus*, inquit, *statuatur ita liberè agere, ut producat in se actum liberum, tanquam rem a se distinctam, uti adversarii volunt, ex tali libertate Dei sequitur, ipsum non simplicissimum esse, sed ex duabus rebus compositum, nempè ex substantia suâ, & actu illo a se producto.* Atqui hæc eadem ratio est, cum ea quam paulò antea, repetierat Smiglecius. Itaque cùm ad eam responderimus, non est cur responsum iteremus.

Veritas e multorum conspiratione, nunquam æstimanda.

Pergit si, inquit, *dicatur (Deus) liberè agere absque ullâ novi actus aut novæ rei productione, sed per suam essentiam & voluntatem liberè terminatam ad hoc vel illud objectum, sic sequitur, esse Deum simplicissimum: at non sequetur, quod adversarii volunt, decretum illud Dei liberum, esse rem a Deo distinctam. Omnes enim, qui hucusque fuerunt, Theologi in hoc consenserunt, voluntatem divinam, quâ vult, quæ vult, & quâ non vult quæ non vult, esse in se simplicissimam, nec ullam compositionem aut multitudinem actuum habere, sed unum & simplicissimum esse actum voluntatis divinæ, qui omnem professionem volendi in se continet, ita, ut quæ nos infinitis actibus volendi volumus, aut velle possumus, ea Deus uno & eodem actu velit, sine ullâ sui mutatione & actuum multiplicatione. Quamvis autem sit simplicissimus, tamen respectu diversorum objectorum dicitur multiplex &c. Hæc etsi in scholis Racovienſium, in quibus error & rerum Theologicarum ignorantia sedem fixit, nesciantur, docentur tamen subtilissimè a Theologis doctissimis.* Proponamus hæc presse, quæ fusè perse-

persequitur Smiglecius, ut vis illorum manifestetur. Voluntas Dei est simplicissima,quâ vult & non vult &c: uti omnes Theologi sensêre. Ergò Deus per essentiam agit. Nego alterum ex altero sequi. Potest enim Dei voluntas esse simplicissima, nec tamen Deus per essentiam agere illa, quæ extra essentiam ipsius sunt. Præterea, cùm in essentia Dei absoluta regnet necessitas, quæ Deus per essentiam agit, eum necessariò agere,necesse est. At,cùm Deus liberè agat,certè non necessariò. Denique ut voluntas Dei simplicissima est, quatenus Deum ipsum pro objecto habet,ita eundem esse volendi actum,cum Deus vult electos servare, & impios damnare, & cùm absolutè quædam vult, & quædam sub conditione, adversi actus istius voluntatis videntur ista refellere. Item, velle & nolle eundem esse actum voluntatis, subtilitas Doctorum, quos opponit Smiglecius, nunquam persuadebit,homini ad obrussam omnia revocanti.ProDom.Doctore,qui,quicquid ab illis Doctoribus dicitur,sine ullo examine admittit,ista subtilitas valebit.At,quod in scholis nostris errorem & rerum Theologicarum ignorantiam sedem fixisse ait: in eo impotentiam animi sui prodit, quâ, pro more suo, aliena ingenti fastu despicit, sua præter modum suspiciens.

Adversos voluntatis actus pro uno eodemque actu censeri non posse.

Attulerat Smiglecius Statorii argumentum,nec undè illud excerpsisset, annotârat, & ad illud responderat, quas responsiones nihil valere docueram. Id me ursisse nunc scribit. At qui responsiones adversarii nihil valere ostendit,is certè argumentum urgere non potest dici, nisi novis argumentis illud fulciat. Deindè illud proponit ad eum modum,Si spiritus S. quia in Deo est,Dei est persona,quot erunt attributa essentialia Dei,tot erunt personæ.Respondet,*non quicquid in Deo est,esse peculiarem personam,ab aliis distinctam,ad hanc enim etiam requiritur peculiaris origo. Ex origine siquidem, divinas personas agnoscimus.* At hæc omnia dicuntur a Smiglecio,quia illi ita placeat. Nam ad personam in Deo constituendam, requiri peculiarem originem, & ex origine dignosci personas, asseritur temerè. Etenim in Dei essentiâ,nullum ens vivum,per se existens,oritur. Ergò nulla in Deo ejusmodi origo. Nam si oriretur ens vivum in Deo, per se existens,essentiâ Dei mutari oporteret,quod prorsus ἀδύνατον est.Deinde Spiritum S. a Patre procedere, tradunt divina testimonia, non autem a Patre,& a filio oriri, quemadmodum scribit Smiglecius. Verumtamen, cùm idem Smiglecius in Deo agnoscat, atributa Dei essentialia, & personas, quæ origine ab attributis distinguantur, ergò ex attributis essentialibus, & personis origine distinctis, essentiam

Ioann: 15. 26.

Dei

Dei componi oportebit. Ergò Deus erit verè secundùm essentiam ex doctrinâ Smiglecii compositus, quomodo igitur simplicissimus?

Dogma Smiglecii de Deo, Dei simplicitatem tollit.

Pergit meam ignorantiam incusare, quod dixerim, patrem a nemine oriri, quippè qui nesciam, esse originem activam & passivam. At quomodo istud ignoravi, cum oppugnârim, non posse in Deo, nempè Patre, ejusmodi originem activam & passivam dari? Consequeretur enim, Patrem ex activâ & passivâ origine ejusmodi componi: &, cùm eam rem prudentissimorum judicio, pro more & modestia permisissem, ille Dom. Doctor, etiam hinc supercilii erigendi & attollendi, occasionem erripuit, *me nimirum rectè feciße, quippè, cùm non sit eorum, quos Racovienses vocat, de tantis rebus iudicare, quæ ne a limine quidem salutârint, & tot doctissimorum eâ de re scripta eße, ut stipites sint, qui in tantâ sapientiæ luce id non perspiciant.* hæc ille. En Doctorale in respondendo acumen. At contemnere omnia, fastus & levitatis est, accuratè omnia perpendere, gravitatis & exacti judicii: directè respondere, solidæ eruditionis & summæ prudentiæ. Porrò qui in tantâ Evangelii luce unum nobis Deum, Patrem illum ex quo omnia; & unum Dominum, per quem omnia, Iesum Christum, apertissimè proponentis, caligat; is miseratione omni dignissimus est, qui instar vespertilionis tetras tenebras, amœnissimo solis fulgori anteponat. Interim tamen Dom. Doctor illa, quæ modestiæ causa a me scripta sunt, perstringere voluit, ut ad argumentum, quod illi in more est, nihil responderet.

1. Cor: 8. 6

Æstus Smiglecii.

Pergit; *At enim Spiritus, non ex eo solùm capite Deus est, quod sit in Deo naturaliter, sed etiam ex eo, quod quid sit increatum & æternum.* Vide lector erudite, quàm tuo, & suo, & nostro Smiglecius otio abutatur. Probat spiritum S. esse Deũ. Quasi vero eâ de re inter nos sit quæstio, an spiritus S., quemadmodum alia attributa Dei essentialia, sit Deus, & non eâ de re, an spiritus S. ita sit Deus, ut sit Deitatis persona, a Deo Patre subsistẽtiâ suâ distincta. Nempè id agit, quod & superiùs, ut his fumis immissis, veritatem Dei, & disputationis scopum lectoris animo abscondat. Deinde cùm dicit, spiritum S. etiam ex eo, quòd quid increatum & æternũ sit, probari esse Deum, nonné videt, quàm probatio superflua sit? Nam, quod in Deo est naturaliter, illud & increatum & æternum esse, quis non animadvertit? Sed voluit eandem Philosophiam suam, quam in Appendice suâ proposuit, persequi, de essentiâ Dei infinitâ, ut, quanta illius eruditio esset, iterum hîc spectaremus. Quæ, cùm inferiùs, ubi nostra refellere conatur, iterum repetat, in defensione nostrâ, opem ferente Domino, expensuri sumus.

Status quæstionis de Spiritu S.

Smiglecii scopus

Quæ naturâ Dei insint, increata & æterna esse.

Pergit,

Pergit, & instantiam meam ei rei oppositam, quòd non omne ens increatum, Deus sit; de luce inaccessâ, quam Apostolus Deum inhabitare expressè docet, & ego eandem increatam aio, perstringit. *me nimirum crassè nimis de Deo cogitare, & propriè id accipere, quod scriptura anthropopathos Deo tribuat, & me cogitare, quod Deum lux comprehendat, quemadmodum domus habitantem.* At vellem, Smiglecius verba mea recitaret, cogitationes meas, Deo Christoque, & mihi tantùm notas relinqueret. Etenim falsissimum est, me ita cogitare, Deum luce comprehendi, quemadmodũ domo inhabitans comprehendatur; deindè, quòd antropopathos, ea dicantur de Deo, quæ Apostolus scribat, videbimus, ut probaturus sit Smiglecius. Nam quod me subinde crassum vocat: Si crassus ego, erudiendus ratione fueram, at subtilis Dom. Doctor, pro ratione fastum & supercilium crasso reponit. Ait igitur: *Scripturam & rationem vetare, illa propriè apud Paulum accipienda:* & rationem hanc primum affert: *Si Deus luce aliquâ circumquaq; comprehenditur, non erit immensus & incomprehensus, contra id, quod scriptura de Deo non semel prædicat.* At nego consequens. Potest enim ista eadem lux, ita extra omnes terminos ferri, quemadmodum essentia Dei. Deindè, ubi, rogo, divinæ literæ, essentiâ immensum & incomprehensum, Deum docent? Proferat locum, quandoquidem id non semel eas prædicare affirmat. Postremò, ponit in Antecedente, luce aliquâ circumquaque comprehendi Deum; cùm nusquam ego ita locutus sim. Ad eum modum adversarii verbis addere, ut commodiorem ea exagitandi occasionem habeas, aut speciem illius oppugnandi, estné candoris ingenui? estné spectatæ fidei? quemadmodum hæc eadem objeci, Dom. Doctori in confutatione Appendicis, ubi quædam me scripsisse, ausus est scribere, id quod etiam in isto libello non semel facit, quæ nunquam scripseram, & inde me toties insciti æ damnare, ad quæ nunc toto isto libello conticuit.

Subtilitas Smiglecii.

Candor Smiglecii.

Deinde Psalmos opponit loco ad Timoth: in quibus Deus decorem induisse, amictus lumine, tanquam vestimento, dicitur, & *infert, quæ,* inquit, *si proprie accipere velimus, eadem lux erit, & domus, & vestimentum Dei, quod est nimis absurdum. Nec enim quis dicitur in veste habitare, tanquã domo, neq; domo indui.* &c. Deinde ex aliis Psalmis, verba hæc, posuit tenebras latibulum suum, & nubes ac caliginẽ in circuitu ejus, opponit verbis Pauli. At illa quæ ex Psal. 10. v. 2. prius nectit, consequentiam nullam habent; Amictum lumine, sicut vestimento Deum Psaltes ait: Smiglecius, si propriè id accipiatur, eadẽ lux erit & domus & vestimentum, infert. At, dum amictum lumine

Psaltes

Psaltes ait, sicut vestimento, similitudinem notat. Quâ lege ergò e similitudine rei, rem ipsam infert Smiglecius? Iam illa verba, quæ opponit Apostolo, & figuratè a Psalte dicuntur, & certo respectu. At Apostolus, ut ostenderet rei tam sublimis, de quâ egit, effectum longè omnium certissimũ, voluit ex professo illius causam docere, & quam ea sublimis, & ubi eadem esset, nos magnificentissimè erudire. Sic enim erumpit in illa verba: *Quam* (apparitionem Domini Iesu supple) *temporibus propriis ostendet, beatus & solus potens, Rex regnantium & Dominus Dominantium, solus habens immortalitatem, lucem habitans inaccessam*, &c. Vbi hîc, in tam sublimi & augusta Dei descriptione, vel minima anthropopathias umbra? cùm singula quæ hîc dicuntur, ad Maiestatem illam Dei stupendam, exprimendam & celebrandam allata videantur. Ad illa rursus, quæ in Appendice ex Apocal. 20. citaverat, & nullam in illâ cœlesti Hierusalem lucem nisi Dei, conspectam scripserat, respondi: Primùm, agi illic de statu piorum, non de maiestate Dei. Deinde locum apertè ostendere, etiam lucernam Agnum illius cœlestis Hierusalem esse; non igitur solam Dei lucem ibidem, ut Smiglecius scripsit, conspectam. Excipit, ad priorem respõsi partem, Vanum & futile esse. At quicquid agat Smiglecius, descriptione illius cœlestis Hierosolymæ, felicitatem piorum describi, ex sequenti oratione, & ipsis loci verbis manifestissimum est. Ergò exceptio mea verissima est, illic de statu piorum agi. Cur igitur illam vanam & futilem vocat? Ad alteram responsionis partem conticuit: illius esse lucernam Agnum. Vide candorẽ D. Doctoris. Ratio, quam affert Smiglecius. *Si*, inquit, *in luce à se distincta verè habitaret, verè lux illa illuminaret quoque & impleret civitatem illam.* At hæc ratio, ne tantillum quidem meæ sententiæ obstat, tantum abest, ut vanam & futilem exceptionem meam, ut eam Smiglecius iis titulis ornat, ostendat. Claritas enim Dei, tam ad eam lucem, quæ inesse Deo metaphoricè dicitur, quàm etiam ad eam, quam inhabitare Deum Apostolus asserit, appositissimè referri potest.

1. Tim: 6. 15.

Descriptio Dei sublimis & augusta.

Reticentia Smiglecio usitata.

Deinde quærit ex me, unde colligam, lucem illam increatam & æternam esse. Id quidem ex verbis meis planum. Nam, cùm sine majestate suâ, illud perfectissimum Ens nunquam fuerit, consequens est, etiam majestatem illam semper fuisse. Illa, quæ de cælis & de terrâ cum respectu ad nos dicuntur, iis, quæ de majestate Dei ex professo, ratione tantùm illius habita, dicuntur, non rectè videntur a Smiglecio opponi.

Majestas Dei æterna.

Quæ de luce illa differit, & non esse corpoream sed spiritualem

eandem concludit, quo fine id, cùm illam neget, inſtituit? Quis verò lucem illam corpoream cenſuerit? In ſumma, poterat D. Doctor omittere, laborem non neceſſarium.

Tùm recitat argumentum ſuum; lucem illam, quam Deus inhabitaret, eſſe vel majorem, vel minorem Deo, vel æqualem; & cùm reſpondiſſem; minorem eſſe non poſſe, nec majorem ob allatas a me rationes; quare admitti poſſe, æqualem eſſe, ex parte, Deo. Smigleccius me acutiſſimum hominem per ſarcaſmum vocat, nempè quòd de æqualitate quantitatis & extẽſionis reſpondeam, cùm quæſtio ſit de qualitate eſſentiæ & perfectionis. At, Smigleci, dum argumento tuo majorem, minorem, æqualem Deo illam lucem urges, nonné terminos quantitatis, non autem qualitatis uſurpas? Quare, tuum eſt hîc acumen prorſus admirabile, dum me ad qualitatem reſpondere debuiſſe cenſes, ubi tu de quantitate egiſti. At quod ait, lucem, ſi increata ſit, non habere a quo limitetur, ad hanc vel illam perfectionem, & ex conſequenti, tantam fore aſſerit in perfectione & natura, uti Deus ſit, ut ſubſiſtant hæc, probatione egent. Etenim, cùm quicquid extra Deum increatum exiſtit, patiens ſtatui oporteat, certè ab agente illo ſummo limitari poteſt. Etenim, ſi homo opera, quæ Deum authorem habent, nec ſunt ab homine producta, quia poteſt in ea agere, pro arbitrio ſuo limitare valet; longè magis Deus, cui virtus & potentia tanta, cui nihil reſiſtat, ut agere in id poteſt, quod increatum exiſtat, ita illud pro arbitrio limitare. Deinde ait, etiamſi de quantitate extenſionis ageretur, me non rectè reſpondere. *Nam, ſi lux, ait, illa habitatio & domus quædam Dei eſſet, major eſſet Deo, utpote quæ Deum in ſe comprehenderet: ſi æqualis eſſet, non eſſet extra Deum.* At neutrum videtur neceſſarium. Nam, poteſt Deus lucem illam inhabitare, nec tamen ab illa comprehendi. Nec ſi lux illa æqualis eſſentiæ Dei, ratione extenſionis, ſtatuatur, non eſſe eam extra Deum, concludi poteſt. Etenim inhabitans, cum inhabitato reipſa idem eſſe non poteſt, cum categoriis hæc differant; & ratio ſana id ſuadeat, ac etiam idem obſervatum ſit aliis, in his Lactantio Firmiano, qui in libro de Origine erroris, ad eum modum ſcribit: Et aliud eſt, quod incolitur, aliud, quod incolit.

Patiens ab agente ſemper limitari.

Inhabitantem, ab eo quod inhabitat, differre.

Concludit; *cùm pateat, lucem illam, quam Deus inhabitare dicitur, non eſſe propriè accipiendam, conſequens eſt, lucem illam inacceſſam eſſe ipſam eſſentiam divinam.* At, etiamſi lux illa eſſet improprie accipienda, quemadmodum eam accipi prorſus oportet, tamen lucem illam inacceſſam eſſe ipſam Dei eſſentiam, conſequens eſſe, doceri non po-

non potest. Quæ enim connexi istius vis? Lux, quam Deus inhabitare dicitur, impropriè est accipienda. Ergò lux hæc, est ipsa Dei essentia. Potest enim essentia divina esse inaccessa, uti & lux illa, quam Deus inhabitare dicitur; nec tamen illa lux esse ipsa Dei essentia; quemadmodum lux solis, & ipsum corpus solis, oculos utrumque præstringit, nec tamen lux solis, ipsum corpus solis est propterea. Ac licet essentia Dei tanta sit, ut omnem, ut Smiglecius scribit, facultatem rei creatæ excedat, tamen id non indicât loci nec Apocalypseos, nec Ioannis, a Smiglecio citati; quorum prior, quòd claritas Dei sit illuminatura Hierusalem cœlestem, docet; alter Deum lucem, certam ob causam, a me in Appendice expositam & approbatam, vocet.

Essentia Dei, omnia quæ extra ipsam sunt, maximè excedit.

Hinc infert, ἀνθρωποπαθῶς hæc dici, dum Deus lucem inhabitare dicitur, quemadmodum illa, quæ in scriptura Deo membra & similia attribuunt, ἀνθρωποπαθῶς accipienda sunt. At ubi membra, vel simile quid, tribuit scriptura Deo, facillimè apparet figuratus loquēdi modus; ubi verò expressè, de illius aut attributis essentialibus, aut illi annexis loquitur, cur ἀνθρωποπάθειαν fingamus? Paulus eo loco affert quædam attributa Dei essentialia, affert quædam quæ Deo cohærent, inter quæ reponit, quòd lucem inaccessam Deus inhabitet, uti superiùs idem ostendimus. Quis igitur hîc ἀνθρωποπαθείας locus? Nec, qui cum Paulo dicit, Deum habitare lucem inaccessam, Deo domum aliquam propriè loquēdo attribuit, verùm lucem hanc pro majestate admirandâ illius summi Entis, accipiendam censet. Nam quòd Smiglecius ait, Deum habitare in seipso: Istud nec divina revelatio ostendit; & ratio, quæ inhabitantem ab inhabitato, diversum docet, uti paulo ante docuimus, ab ejusmodi sententia abhorret. Illud simile, de servo intrante in gaudium Domini sui, quid cum re proposita simile habet? Certè, intrare in gaudium, nihil aliud est, quam potiri gaudio Domini sui. Quomodo igitur is in gaudio, tanquam in domo, habitare censeri potest, ut Smigle: loquitur? Ad locum Heb 12.v.27. expositionem attulerat Smiglecius, per mobilia legem, per immobilia Evangelium significari: Excepi, si hoc respexit scriptor divinus, doceat Smiglecius, publicato Evangelio, & terram & cœlum ita commota, ut sublatis his mobilibus, immobilia illa æternū mansura succederent: hanc responsionē meam ejusmodi esse, ut me argumenti mei pudeat, scribit Smiglecius. Sed unde colligit, me pudere argumenti, vel potius exceptionis meæ, num hinc, quòd illos flosculos Smiglecianos, futile est, frivolum est, crassum est &c. & simi-

Lucem inaccessam, majestatem Dei censeri.

les,reſponſionibus meis non apponam? At verò tantum abeſt, ut me pudeat exceptionis meæ,ut tanto majus illius robur agnoſcam, cum a Smiglecio, ne loco quidem motam videam. Etenim,cum expoſitione loci,reſponſioSmiglecii nitatur,ſi expoſitionem loci negem,ſudabit Smiglecius,antequam illam ex mente iſtius authoris probet.

Exceptio authoris a Smiglecio loco non mota.

Porrò authorem hunc agere, non de commotione cœli & terræ, qualem abrogata lege, & publicato Evangelio, Smiglecius apparuiſſe vult; ſed de illa univerſali, cùm terra & cœlum commovebũtur,id eſt,ut Petrus ait 2.C.3. *Cœli magno impetu tranſibunt, elementa verò æſtuantia ſolventur, & terra,& quæ in eâ ſunt opera, exurentur*, patet ex argumentatione divini authoris. Sic enim ille: *Illud autem* (inquit) *adhuc ſemel, declarat mobilium ceu factorum tranſlationem, ut maneant immobilia.* Etenim, ſi illam commotionem ad publicationẽ Evangelii referas,tum non ſemel,verùm bis, cœlum & terram Deus moveret. Atqui ſemel tantum teſtatus eſt, ſe non terram ſolùm, ſed & cœlum moturum.Ergo illa verba,ad extremum illum diem prorſus referenda ſunt, cùm verè terra cœlumque movebuntur, & veritatem dicti divini,omnis natura reipſa experietur.Præterea,Evangelium non ita ſucceſſit legi, ut æternum maneat. Etenim ſalute piis partâ,non amplius manebit.At illa quæ mobilia ſunt, ita tollentur uti facta, ut immobilia permaneant, nunquam movenda. Ergo necdum concidit vis exceptionis meæ, quemadmodum eam concidiſſe putat Smiglecius.

¶ 10.

Rationes exceptionis.

Ad rationem, qua Smiglecius omne increatum ex ſe eſſe &c. atque ex conſequenti Deum concludebat, reſponderam: eam ipſorum,quam de Filio Dei haberent,ſententiâ refelli.Etenim Filium illum Dei,quem præternum volunt,increatum opinantur, & tamen Deum de Deo, in ipſorum Symbolo confitentur. Spiritum etiam S. procedere a Patre, ſervatorem teſtari;qui tamen increatus eſſet: excipit Smiglecius, firmiorem eſſe ipſius rationem, quam ut a me expugnari poſſit. Ait enim: *quod increatum eßet, aut nullo modo ab alio eßet,aut ſi aliquo modo ab alio ſit,eßentiam tamen ex ſe exiſtentem, hoc eſt, à nullo productam,accipit. ita ut ens increatum,ſemper dicat eſſentiam ex ſe exiſtentem, & nullo modo quoad exiſtentiam productam. Quare & Filium Dei ex Patre eße, ea ratione dici, ut ab eo eßentiam divinam improductam,ac proinde ex ſe exiſtentem habeat; quod ad vim argumenti illorum ſufficit.* At, ſi Smiglecius agnoſcit, filium, quem illi increatum volunt,ex Patre eſſe: ratio illius concidit; quæ ſtatuit,Omne increatum ex ſe eſſe. Modus quo ille declarat, quâ ratione ex Patre ſit filius,

Non quicquid increatum ſit, ex ſe eſſe.

filius, nihil ad quæstionem. Non enim hîc quæritur, Quomodo Dei Filius ex Patre sit, verùm an omne, quod increatum sit, ex se sit. Videat igitur eruditus lector, an ratio Smiglecii a me non expugnetur ipsius sententiâ, ad cuius defensionem nihil habuit, quod directè afferret Smiglecius, ac ne respondere quidem, nisi quęstionis statu prorsus mutato. Multa pręterea hîc dicit absona, dum ait; Filius Dei etiamsi producatur, eius essentiam produci, non esse necesse. Si ita res habeat, ergo Filius Dei habebit esse suum productum, & non productum simul. Nec illustratio eius rei quicquam de anima hominis valet. Nã hæc, si creetur a Deo, producitur, & si non desint, qui eam ex traduce produci differant, in hisque nobilissimi Philosophi & Medici. Lazari porrò exemplum, quid huc facit? Eum enim resuscitatum, at non productum, propriè loquendo, literæ divinæ testantur. Aliud verò est producere rem quæ non extiterat; aliud, corpori mortuo, quale Lazari fuit, vitam restituere, animamque illam eandem, quæ in eodem corpore fuit, reddere. quicquid autem hîc vestri disputent, vero nihil eorum disputatione deceder. Status quæstionis.

Quod verò ad Spiritum S. attinet, eum increatum & æternũ me concedere ait, sicut &, quòd ex Patre existat. Deinde adversum me differit, quòd eum, uti ait, verum Deum negem. At Smigleci, ratio tua omne increatum ex se esse, ab instantia Spiritus S. a Patre procedentis, qui æternus & increatus esset, tibi oppositа, erat vindicanda. Tu omissa tui defensione, in me insurgis? Quo fine? nempe ut imperitis fucum facias, peritioribus ostendas, te quod responderes, nihil habuisse. At videamus & hæc, quibus adversum me insurgit. *Aut enim* inquit, *Spiritum sanctum vult ita esse increatum ut sit aliquid extra Deum, vel vult esse in ipso Deo &c. Si primum, me Paulo repugnaturum, comparanti Spiritum Dei cum spiritu hominis, qui in ipso est, &c. sin secundum, non posse Spiritum S. non esse Deum.* Verùm cùm ex confessatis me premat Smiglecius, dico, utrumque me asserere, neutrum tamen prodesse Smiglecio, aut caussæ meæ obesse. Agnosco enim Spiritum sanctũ & esse in Deo, quatenus in ipso residet, & ita Pauli sentẽtiæ, quem magistrum sequor, non repugno; agnosco & extra Deum esse, quatenus a Patre procedit, & per filii manus, in credentes & ipsi obtemperantes effunditur. Hoc verò ipsum, tantum abest, ut eum Deum, aut Dei essentiam evincat, ut non esse manifestissimè ostendat. Etenim Dei essentia, nec est in quoquam, alioquin prima substantia non esset, nec a Patre procedit, neque per filium in fideles effunditur, aut effũdi ullo modo censeri potest. Denique etsi Spiritum Dei Deo naturaliter

Smiglecius omissa sui defensione, in autorem insurgit.

Spiritus S. quatenus in Deo, & extra Deum censetur.

raliter ineſſe concedã, niſi Smiglecius demonſtret, Spiritum S. ita in Deo eſſe, ut perſonaliter in Deo exiſtat, & ſic eſſe Deum, ut ſit Deitatis perſona, nihil egerit. Hoc enim ipſum in quæſtione eſt; quod cum hîc Smiglecius non demonſtret, ut antea in reſpondendo, ita hîc in me oppugnando, extra ſcopum fertur.

Verùm me jam inclementiùs tractat Smiglecius, & quia ſcripſeram, materiam etiam primam æternam quosdam ſtatuerẽ, non leviculis rationibus impulſos, nec quibus divinę literæ uſpiam contradicant, Smiglecius ait, mihi probabilia & preclara videri, quæ univerſus orbis Chriſtianus profligavit, perpetuis tenebris damnavit, & quę hæretici aſſeruere, & mihi animum pravis opinionibus imbutum, cui non poſſit apparere, quod rectum ſit, exprobrat. At, mi Smigleci, cõſentientium multitudo, potentiæ quidem ſemper; at veritatis non ſemper eſt argumentum. Deinde non omnia, quæ ii, qui hæretici ſunt habiti, ſenſere, hæretica fuêre. Omnes ferè hæretici ſenſêre; eſſe Deum; eſſe Dei Filium &c. num hæc ſunt propterea hæretica? Vter verò noſtrûm animum pravis opinionibus imbutum habeat, ſub judice lis eſt. Smiglecius, cùm aduerſarii partes ſuſceperit, ſe nec judicem eſſe, nec Dictatorem meum meminerit. An nõ licebit mihi per Smiglecium, & judicium ſuſpendere, & interim quale quodq; appareat, pronunciare?

Veritas e multitudinis conſenſu non æſtimanda.

Sed attendamus rationes quibus oppugnat, quod aliis, ſcripſi, non improbari. Ait igitur, iſtam ſententiam ſcripturæ & rationi repugnare. Scripturas enim clariſſimè docere, omnia creaſſe Deum: & in eam ſentẽtiam citat aliquot teſtimonia Act:4, Heb:3. Rom:11. At qui teſtimonia ſcripturæ citata teſtantur, omnia creaſſe Deum (etſi teſtimonia Hebr.3. & Rom.11. de creatione univerſi non agunt) quod ad quæſtionem nihil facit: ubi quæritur, non an Deus omnia creaverit, verùm, an ex nihilo, an verò ex materia prima omnia creaverit. Sive enim ex nihilo, ſive ex materia prima creaverit univerſa Deus, ſemper hoc verum manebit, omnia creaſſe Deum. Rationes deinde affert. Prima eſt; *Si materia eſſet ens increatum, eſſet infinitum & illimitatum, ac proinde omnem plenitudinem eſſendi ex ſe haberet, quod eſt Dei proprium. A quo enim limitaretur, ad tantam & non majorem perfectionem eſſendi ſi a nullo eſſet? Materiam verò primam eſſe omnium entium imperfectiſſimum, quod Ariſtoteles, nec eſſe quid, nec quale, nec quantum, nec aliud ex iis, quibus ens determinatur, definivit.* hæc ille. At negari poteſt, conſequi, ſi materia prima ens increatum ſit, infinitum & illimitatum eſſe debere, & omnem ex ſe plenitudinem eſſendi habere. &c. Et

Citata teſtimonia a Smiglecio, nihil ad rem cõtroverſam.

&c. Et cum ex natura sua res quæq; æstimetur, & prout sit (quamcunque ortus sui rationem habeat) ita censeatur; & materia prima, cum ens tale sit naturâ, quale ab Aristotele descriptum est; quæ causa est, cur illi essendi majorem perfectionem tribuamus?

Quid de materia prima, statuendũ sit.

Secunda. *Si materia esset increata, non posset eam Deus destruere.* Respondeo: At si dicant assertores istius opinionis: Deum nolle materiam primam destruere: & ejus rei argumentum afferant, quòd tot rerum formas ex ea produxerit. Deinde, si excipiant, non posse materiam primam destruere, & negent, omnipotentiæ Dei quicquam ea redecedere, quemadmodum eidem nihil decedat, quod contradictionem involventia, facere non possit, quod hîc incõveniens? Nec enim hîc in Deo defectus virtutis est, sed in rebus ejusmodi, quæ divinæ virtutis capaces, ut ita loquar, non sint. Postremo eandem materiam primam, licet ex Philosophorum sententia, asserit ipse Smiglecius in corruptibilem.

lib: 2. de erroribus Arian: c. 13.

Tertia ratio. *Si Deus materiam primam non creavit, nulla res sensibilis poterit dici â Deo creata. Creatio enim est productio ex nihilo.* hæc ille. At inquam; aliud est, res sensibilis certa forma prædita; aliud, materia prima informis. Res igitur sensibilis posset a Deo creata dici, at non materia prima. Ratio, quam hîc affert; Creatio enim est ex nihilo; non docet, rem sensibilem non posse creatam dici a Deo, etiamsi materia prima creata non esset; cùm ipsa petitio principii sit.

Quarta. *Scripturam Deum solum æternũ agnoscere, quod loco Proverb: 8. Antequam quicquam faceret a principio.* Item Gen: 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram, docet:* At hæc testimonia Deũ, antequam faceret quicquã, fuisse; & in principio, nempè creationis, cœlum & terram condidisse testantur; ipsum verò solum æternum extitisse, non demonstrant.

Quinta. *Ratio suadet,* inquit, *cũ omnem rem creatam ex nihilo produci oporteat, quod autem ex nihilo producitur, æternum esse non potest.* &c. *Consequens est, nullam rem creatam posse produci ab æterno.* At hæc ratio quinta huic basi innititur, rem creatam produci ex nihilo. Hoc ipsum verò est in quæstione; an creare sit rem ex nihilo producere. Hoc probet, aut testimonio divnio, aut ratione Smiglecius, maximè, cum ei placito multorum, ratio repugnare videatur: quæ ex nihilo, nihil produci testetur. Reliqua, quæ hîc affert, ad rem non multum pertinẽt, eò a me sunt omissa. Quamobrem solidiora afferat Smiglecius, si iis ha nc sententiam persuadere velit, qui illam non improbãdam censent. Quod ad me attinet, libenter hîc judicium suspendo, cũ ea li-

ea libertate tamen,ut,quale unumquodque appareat,illud tale apparere pronunciem,donec solidiora ab aliquo afferâtur. Quicquid Patres illi,quos Smiglecius sanctissimos vocat statuerint,eatenus, quatenus vel scriptis canonicis consona sunt, vel rationi non adversantur,secundum sententiam istorum eorundem Patrum,amplector;ea verò, ab hostibus religionis spiritu cacodæmonis actis,quæ Patres isti improbaverunt,profecta esse;nisi eadem Scripturæ & rationiSmiglecius repugnare docuerit,nunquam verè poterit asserere.

Tavtologia Smiglecii; & tergiversatio.

Pergit,& ait, objici a me, in sacris literis tradi, Spiritum S. esse in Deo, non autem Deum in Spiritu S., eoque Spiritum S. non esse Deum;& respondet, non solum ea in scripturis esse, quæ extent expressè, verùm etiam quæ deducuntur. Sed quid toties hæc repetit, cum nôrit,nos eadem,quæ necessariò e divinis literis deducuntur, pro iis ducere,quæ sacris literis contineantur.

Pergit ergò deducere. *Cùm igitur*,inquit,*e sacris literis probemus, spiritum S. ita esse in Deo, ut sit consubstantialis Deo, & communis cum Deo essentiæ,ex eo consequitur, ratione communis essentiæ, alterum in altero esse.* At e divinis literis antecedentis tantùm ea pars doceri potest, spiritum S. esse in Deo, cum verò ita in Deo esse, ut sit consubstantialis Deo,& communis cum Deo essentiæ,nunquam ex suo sensu e literis divinis docebit Smiglecius.Nam consubstantiale Smiglecio est, quod substantiam divinam totam secum communicatam habet. At hoc de spiritu S. nunquam e divinis literis per legitimam & necessariam consequentiam deduci potest. Vti nec illud, cum cum Deo communem substantiam habere. Quapropter nunquam ex iisdem deducet, Deum esse in spiritu S. quemadmodum spiritus S. in Deo sit.Nec ratio quam affert,vel potius ex Appendice iterum regerit, id conficit: Quorum est communis essentia, ea in seipsis ratione essentiæ mutuò inexistunt. Est enim nimis crassa principii petitio: Quo enim testimonio divino, aut ratione nititur? imò cum quidvis essentiâ propriâ gaudeat, quâ ab aliis differt; non potest quicquam dari, quod cum alio communem habeat essentiam. Adde, quod,qui proprietatibus essentialibus differunt, eosdem essentiâ differre, certissimum sit. Atqui Smiglecius,Patrem dicit ingenitum,filium genitum, spiritumS.procedentem;has verò esse proprietates essentiales, quibus Pater,filius,& spiritus S. differant, cum ipsi agnoscant adversarii, hinc necessariò infertur,eosdem differre essentiâ. Si differunt essentiâ, quonam pactò Smiglecius eos cummunem habere essentiam asserit?

Communem essentiam primam non dari.

Essentialib: proprietatibus qui differant,essentia differre.

At,inquit,

At, inquit, *frivolum esse, quod ait Moscorovius, implicare contradictionem, unam numero essentiam esse in pluribus personis, eò, quòd persona sit individua substantia intelligens.* Quid ita? *Quia sit personæ mutila isthæc definitio. Nisi enim sit incommunicabiliter subsistens, non erit persona*, &c. At Smiglecio demonstrandum fuerat, non implicare contradictionem, unam numero essentiam esse in pluribus personis; ille, hoc omisso, de personæ definitione litem movet. Nam cùm statuat, unam numero Dei essentiam esse in tribus personis; & personam essentiam unam numero, negare non possit, tum essentia numerica, erit in tribus numericis essentiis, atque sic numerica & non numerica.

Contradictio dogmatis Smiglecciani.

Ad alteram rationem, quòd individuum sit prorsus incommunicabile, neque inexistere possit, cùm id secundarum substantiarum sit, & accidentium; excipit, falsum esse, & primæ parti rationis, animam rationalem opponit, quam suo modo esse individuum ait, neque tamen incommunicabile, communicari enim cum homine. At admissâ Smiglecii exceptione, non est oppositio sufficiens. Individuo enim absoluto, individuũ suo modo, opponitur. Deinde, quę Philosophia docet, animam communicari cum homine, cùm homo non sit homo, antequam animam habeat, quæ esse homo incipit. Mitto varias nobilissimorum Philosophorum & Medicorum, de animæ ortu opiniones & controversias. Quid igitur rem adhuc in dubio positã, quasi ea extra omnem quæstionem sit, opponit Smiglecius? Quæ hîc dicit, animam totam, puta, quòad substantiam, in omnibus membris existere, illam Philosophiam aversatur ratio, quæ hîc inesse contradictionem ostendit; totum esse, quoad essentiam, in uno membro, & idem totum, quòad essentiam, non esse simul in uno membro, sed in omnibus. Ait etiam, *rationem demonstrare, aliud esse naturam individuam aliud incommunicabiliter subsistere. Nam illud esse in plures naturas indivisibile; hoc verò in plures subsistentias indivisibile. Quare hæc definitionibus diversa, à nobis non debere confundi.* At ratio ita res percipit, uti sunt. Quare id suadet, quod in rebus ipsis inest. Demonstret in rerum natura, Smiglecius, subsistentiam incommunicabilem, non esse substantiam primam; tum dicere eidem licebit, hæc, ratione dictante esse diversa. Verborum diversorum fuco, quid juvat nos ludificari? Apertè fateatur; ista subsistentia incommunicabilis, estné substantia prima, vel secunda. Nam aliam divisionem substantiæ, nec rei natura, nec vera Philosophia agnoscit. Si secundam substantiam esse negat, agnoscat esse primam. Quare merito atque optimo jure, sub-

Oppositio Smiglecii manca & imperfecta.

Anima tota in uno membro, & in omnib: simul, esse non potest, quæ ad essentiam.

ſtantiam primam & ſubſiſtentiam incommunicabilem, uti quæ re ſunt eadem, pro eodem agnoſcimus.

Ad alteram rationis partem excipit; *inexiſtere eſſe quidem accidentium & ſecundarum ſubſtantiarum, ſi de inexiſtentia in aliqua ſubjecta natura intelligatur; & ita ſecundas ſubſtantias exiſtere in primis; at non primas inexiſtere, nec enim primæ eſſent. At nihil repugnat, quo minus dicantur inexiſtere in aliquo ſubſiſtente. Qui modus eſt ſubſtantiæ individuæ exiſtendi in perſonis.* hæc ille. At pugnantia loquitur Smiglecius. Nam ſi fatetur, ſubſtantias primas, ſi inexiſterent in aliqua ſubjecta naturâ, ſubſtantias primas non futuras; idem, cùm easdem in ſubſiſtente aliquo inexiſtere dicit, nonné ſibi contradicit? Quæro enim: illud ſubſiſtens, ſeu perſonæ, ſuntné ſubſtãtia, vel accidens. Non accidens; quomodo enim primæ ſubſtantiæ, accidenti inexiſterent? Subſtantia ergo. ſi ſubſtantia, ergo prima ſubſtantia, primæ ſubſtantiæ inexiſtet, contra omnem veritatem, rationem, & Philoſophiam? Non apparet igitur, quomodo hæc non pugnent, ſubſiſtere incommunicabiliter, & inexiſtere in ſubſiſtente incommunicabiliter. At, quod me plura in hanc rem cognoſcere cupit, ex erroribus ſuis; ad eoſdem reſponſum cum habeat a Smalcio ſatis accuratum, velim idem ipſe legat atq; perpendat.

Natura ſubſtantiæ primæ.

Caput IIII. in quo ſcribit:

Duo argumenta pro divinitate Spiritus S. a Moſcorovii cavillationibus vindicari.

IN hoc capite Smiglecius argumenta quædam a ſe in Appendice propoſita, ſed longè in aliam formam mutata regerit. Nam unum argumentum, quod in Appendice ad eum modum propoſuerat: *ſpiritus S. nos* (inquit) *regenerat in baptiſmo, & ſalutem tribuit. Eſt igitur verus Deus. Solus enim Deus prima ſalutis noſtræ cauſa.* Nunc longè alia ratione repetit. *Is*, inquit, *qui nos ſuo nomine regenerat & ſalvat, eſt verus Deus. Atqui ſpiritus S. nos ſuo nomine regenerat & ſalvat in baptiſmo. Ergo eſt verus Deus.* Hinc igitur cordatus lector perſpiciat, quemadmodum ſua defendat Smiglecius, dum pro reſponſionibus, & exceptionum depulſione, argumenta ſua reformat, & reſponſiones ad priora argumenta datas, argumentis nunc a ſe refictis accommodat. Hac via veritas quæritur, ſcilicet. Nos tamen ejus premamus veſtigia.

Ad primum igitur argumentum reſpondeo, quod ad maiorem attinet,

attinet, in istis verbis, suo nomine, homonymiam latere. Semper enim is suo nomine agit, qui sua virtute aliquid agit, seu virtus illa naturalis sit, seu acquisita. Quapropter non protinus is Deus est natura, qui, quod Dei est, agit virtute sua, nisi illud agat modo, quo agit Deus, pari; non quo ad effectum solùm, verùm etiam quo ad causam, & agendi principium.

Deinde assumtionem, nunquam ullo testimonio divino probabit Smiglecius: Spiritum S. suo nomine nos regenerare in baptismo, & servare. Cum verò ad antecedens prioris argumenti addidissem; aquæ baptismo, aut promissum aut astrictum esse spiritum S. e divinis literis non posse doceri: respondet Smiglecius, quot verba sunt, tot esse crassissimos errores. Videamus igitur demonstrationē: *Quis enim Matth: 28. baptismo à Christo instituto, nesciat promissam esse salutem, & ex consequenti regenerationem?* At Smiglecius, tantum abest, ut me tot errorum, quot sint verba mea, convincat, ut nihil prorsus ad rem respondeat. Nam debuit docere, aquæ baptismo promissum esse spiritum S., ille locum affert, in quo nullum tale promissum extat. Deinde locus allatus, expressè quidem agit de Baptismo, at non de aquæ baptismo. Cùm enim in divinis literis baptismus multiplex existat, ut in Appendice non ex divinis literis solùm, sed etiam e Doctoribus ostendimus, ex voce baptismi, non illico aquæ baptismum inferre licebit.

Aquæ baptismo nusquam spiritus sanctus promissus.

At ejusmodi promissionem illis Christi verbis: *Qui crediderit & baptisatus fuerit, servabitur probat.* At in eo loco baptismi fit mentio, at non aquæ baptismi. Deindè fit promissio salutis; at non spiritus S., tùm credenti & baptisato: at non aquæ baptismo, id est non actui aquæ baptismi.

Vrget deinde. *In nomine Patris & filii & spiritus S. baptismus conferri præcipitur. In eo igitur baptismo spiritus S. nos regenerat & servat.* At primùm urget Smiglecius, quod non est in quæstione. Nec enim inter nos controvertitur, an spiritus S. nos regeneret & servet: verùm an id suo nomine, & tanquam prima causa faciat.

Deindè, ut præter scopum argumentatur, ita argumentatione suâ, nec hoc quidem efficit, quod vult. Etenim præcepto, quod Matth: 28. datur Apostolis, ad munus baptisandi & executionem illius obligantur Apostoli. Ergò ex eo præcepto, hoc tantùm deduci potest. Smiglecius, cùm spiritum S. nos regenerare & servare ex eo præcepto deducit, id quod ex illius præcepti forma effici non potest, infert; atque ad eum modum consequens latius, ex antecedente angu-

Argumentatio Smiglecii & præter scopum allata, & rem Smiglecii non conficit.

flore, vitiosè & captiosè nectit. Quæ hîc de voce, baptisantes, & illius significatione, differit, cùm extra scopum sint, & a nobis alibi sint discussa, prætereo.

Pergit. *Adhæc, quantus est error dicere, in aquæ baptismo spiritum S. non regenerare? Etenim aut in baptismo aquæ nulla regeneratio, aut est dicenda fieri a spiritu S.* At probatione, non exaggeratione, ad demonstrandos errores opus est, Smigleci. Etenim ut nos, si res usitata divinis literis phrasi accipiatur, libenter admittimus, spiritu S. nos regenerari; ita hoc fieri per aquam, vel in aqua baptismi, pernegamus. At excipit, locis illis promissam aquæ baptismo regenerationem, quæ baptismum institutum esse in remissionem peccatorum testantur, & citat in eam rem Act: 2. v. 38. & 22. v. 16. testimonia. Atqui ad hæc testimonia superiùs respondimus, & nihil horum ex iis effici docuimus. Repetere eadem, est abuti lectoris otio, & id, ut volumen tantum crescat, quærere. Vbi tamen Smiglecius, suo more, in citando Act: 2. testimonio, pœnitentiam agite, omittit, quò illud ad suum sensum pertrahere possit facilius, & ex eo quòd Petrus illis, qui pœnitentiam egerint, & baptisati fuerint, promittat, eos accepturos spiritum S., Smiglecius infert, inde patere, spiritum S. in baptismo operari & dona largiri? At cùm Petrus illis, qui pœnitentiam egerint & baptisati fuerint, spiritum S. promittat, hinc manifestissimum est, post actam pœnitentiam & baptismum, spiritum S. illis dandum fuisse, ac proinde perperam Smiglecium colligere, spiritum S. in baptismo operari & dona largiri, ex eo testimonio conatum fuisse.

Spiritum S. quibus Apostolus promittat.

Pergit. *Porrò remissio nec sine regeneratione fit, nec regeneratio sine spiritu S.* 1. Cor: 6. *Iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Quare eo ipso, quod in baptismo aquæ per remissionem peccatorum regeneramur, a spiritu S. regeneramur.* hæc ille. Admisso antecedente, nego consequens. Vbi enim in Antecedente, nos in aquæ baptismo regenerari per remissionem peccatorum? Subjicit: *Si remissionem peccatorum non baptismo, sed pœnitentiæ tribuit Moscorovius, Baptismum quoque Ioannis, dicere debebit, fuisse in remissionem peccatorum, æquè ac baptismum Christi.* At quæ, rogo, consequentis ratio? Cùm Antecedens non de baptismo, sed de pœnitentiâ agat. tùm, quod hîc inconveniens? denique, cùm Ioannis & Christi baptismus formâ & professione differant, quæ ex uno ad alteram argumentatio?

Addit, *Adhæc, cùm baptismo aquæ Act: 2. v. 38. promittatur expressè donum spiritus S., qua fronte potuit negare Moscorovius, spiritum S. non esse promissum Baptismo aquæ?* At pœnitentibus & baptisatis, in nomine

nomine Domini Iesu, promittit Petrus spiritum S. expressè. Ergò non aquæ baptismo. Viderit igitur D. Doctor, quâ fronte ipse quæ scribit, asserat. Cùm spiritum S. Dei Spiritum esse constet; quicquid spiritui S. operationum divinarum attribuatur, Deum illa per spiritum S. operari censeri posse, uti opera spiritui hominis attributa, homini per spiritum operanti, attribui possint, eoque ex illis non posse effici deitatis personam scripseram, excipit Smiglecius, me nihil agere. Non enim ex eo, quòd regenerat spiritus S. sed quòd nomine suo regenerat, deitatis personam ab illis concludi necessariò. At, inquam, nusquam in divinis literis, spiritus S. scribitur, suo nomine regenerare. Iubentur quidem Apostoli discipulos facere, baptisantes in nomen Patris, Filii & spiritus S. at hoc in hisce verbis non extat, spiritum S. suo nomine regenerare. Deindè, in nomen aliquid fieri, etiamsi personarum sit, propriè loquendo, tamen figuratè eundem loquendi modum accõmodari posse rei, quæ persona non sit, præsertim si cum personis jũgatur, nihil prohibet, quemadmodum actiones personarum propriæ, rebus, in divinis, figuratè sæpissimè accõmodantur, uti superius ostendimus, & alibi sæpè.

Spiritum S. suo nomine regenerare, nusquam in literis divinis doceri.

Subjicit: *Cùm regeneratio dicatur a Deo fieri per spiritum S. intelligitur fieri per spiritum, qui sit persona. Ostendimus enim, spiritum illum qui in Deo est, & per quem omnia facit, esse personam.* At si Deus per spiritum suum regenerare dicatur, hinc concludi non potest, spiritum S. esse personam, quemadmodum si dicatur, per bonitatem, virtutem, sapientiam, rectitudinem suam agere, concludi non potest, illa esse personas. Nam quod a se ostensum ait, spiritum S. qui in Deo sit, & per quem omnia operetur, esse personam, vana gloriatio est. Quæcunque hîc de spiritu S. repetit, ex quibus vult eum esse personam, superius sunt discussa. Quod attinet ad locum Act: 13. v. 2. dicitur illic dixisse spiritus, per quod dictum spiritus, vox divina, extitisse intelligi potest, per Angelum, & illa verba, *segregate mihi*, ad illum referri, cujus nomine facta est, nempè Dei. Vnde, constitui ex eo spiritum S. esse personam non posse, apparet. Nam quod hîc ait; Personarum esse, ex judicio & voluntate operari, id quidem, propriè si accipias, verum est, at idem rebus accommodari sæpiùs ostendimus. Cùm dicunt divinæ literæ, charitatem nihil indecorè agere; non quærere quæ sua sunt, non irritari, non gaudere super injustitia, congaudere veritati, omnia sufferre, credere, sperare, sustinere, quis apertissimè non videt, eas esse actiones, quæ ex judicio & voluntate proficiscantur, esse tamen rei, charitati nempè, accommodatas?

Ex eo, quòd per Spiritum S. Deus operetur, Spiritũ sanctum esse personam, non concludi.

1. Cor: 13. 5, 6, 7.

Ad instantias meas, de divinis literis, quibus scriptura easdem operationes attribuit, quas spiritui S., respondet, vanas esse. Quid ita? *quòd eæ sint instrumenta ad nostram regenerationem, at spiritum S. esse causam principalem, in cujus nomine baptisamur & regeneremur.* At, cùm Smiglecius ex operationibus spiritus S. in divinis literis illum personam esse concluderet, & ego pares operationes scripturæ, quæ persona non sit, accõmodari in divinis literis ostendissem, hinc perspicuum est, instantiis meis argumentationes Smiglecii succidas esse, uti superiùs idem ostensum. Quod ipse Smiglecius reipsâ agnoscit, licet verbis neget. Etenim cùm dicit, hæc de scripturâ, tanquam de instrumento accipi, at de spiritu, tanquam caussâ principali, nonné reipsa agnoscit, operationes esse pares, & sic instantias meas legitimas? At quod addit, de scriptura hæc accipi tanquam de instrumento, at de spiritu, tanquam caussâ principali, nonné eo se tuetur, & instantias limitat, quod controversum est?

Exceptio Smiglecii controversa.

Pergit. Tertium argumentum est; *Si in nomine Patris æquè ac in nomine filii & spiritus S. baptisamur, æquè spiritus S. erit Deus ac Pater, si quidem parem cum Patre virtutem habebit ad nos sanctificandos.* hæc ille. At undè colligit Smiglecius, nos æquè in nomine spiritus S. ac in Patris nomine baptisari? In loco Matth: 28. vox hæc *æquè* non habetur. Ergò inde, quod in nomine etiam spiritus, ac Patris, Apostoli jubentur baptisare. At cùm exceperim, nequaquam ex enunciatione de Deo & illi adjunctis simili, eandem Dei & illi adjunctorum naturam, aut virtutem colligi posse, idque exemplis e sacris literis sufficientibus demonstrârim, nonné Smiglecii argumenti vim penitus sustuli? &, cùm ad eam rem nihil esset Smiglecio, quod opponeret, me non intellexisse vim argumenti, qui mos est Smiglecii, pronunciavit, & argumentum idem, pro responsione reposuit. O Doctorem acutum & virum intelligentem! Id verò, quod rationis loco in appendice verbis paulò mutatis scripserat; Eum, in cujus nomine agamus, non esse instrumentalem caussam, falsum in nostra refutatione docuimus, cum suo nomine eam rem semper agere is possit, & agat, cujus conficiendæ & authoritatem & potestatem plenam habeat, a primâ caussa concessam.

Smiglecii in respondendo consuetus mos.

Recitat deinde exceptiones meas. *Non possunt*, inquit, *plures caussæ primæ ad unum opus concurrere, alioquin caussa prima, non esset caussa prima.* Excipit: *At neque nos Patrem, filium & spiritum S. tres caussas primas statuimus, sicut enim sunt unus Deus, ita & unum rerum omnium principium, & una prima caussa,* &c. At Smiglecius non integrè re-

grè recitat nostram exceptionem, etenim; cùm Patrem causſam, & sine controversiâ causſam primam effectuum spiritualium, de quibus ageretur, ostendissem: ratione subjectâ, nullam aliam primam causſam, statui posse demonstravi. Respondet Smiglecius, illos tres personas primam causſam se statuere. At non quid ipse statuat, sed quid rei natura ferat, afferendum erat Smiglecio. Ego enim insto. Pater est prima salutis causſa. Ergo nec filius, nec spiritus S. Excipiet. Has tres personas unum Deum esse. Verùm antecedens meum, quod de Patre agit, hæc exceptio non attingit. deindè, quod ego impugno, hoc mihi pro respõso affertur. Egregia sanè disputandi ratio. Postremò, cùm Smiglecius contendit, spiritum S. esse causſam primam uti Patrem, nonné causſas primas numero duas esse contendit, quod fieri nullâ ratione posse, demonstramus.

Patrem esse primam salutis causſam, eoq; nullam aliam.

Secunda. Pendet spiritus S. a voluntate Patris, eumque in salutis negotio pro arbitrio Pater exerit. Non potest igitur spiritus dici prima causſa, respondet Smiglecius, *si intelligam, spiritum non operari aliquem effectum, quem operetur Pater, sed semper mandatum Patris expectare, falsissimum esse, nec me id unquam probaturum. Trinitatis enim opera esse indivisa, constantem esse catholicorum fidem: & quorum una est natura, una virtus & potestas, unam operationem. Neque fieri posse, ut aliquid efficiat Pater, quod non efficiat filius & spiritus S., non propter mandatum aliquod, sed propter naturalem essentiæ & virtutis unitatem. Pater enim quicquid facit verbo suo & spiritu suo facit, & in eam rem* 1. Cor: 12. *v* 4. *testimonium citat, ubi vult ea omnia filio & spiritui S. quæ Patri tribui.* hæc ille. At cùm Christus spiritum S. petentibus a Patre dari apertissimè testetur: & Patrem rogaturum se, ut spiritum det Apostolis, denunciet, & spiritum S. dari Deo obsecundantibus Apostoli doceant, nonne in literis divinis testatissimum est, spiritum S. a voluntate Patris pendere? nec unquam eundem, nisi tum, cùm a Patre datur, quicquam efficere? Nam quod rationis loco mihi Smiglecius, fidem & placita Catholicorum opponit, opera nempè trinitatis esse indivisa, &, quorum sit una natura, communem esse operationem; & nihil efficere Patrem, quod non efficiat filius & spiritus S., nonne ipse videt, quàm crassè principium petat? Qui ita disputationem instituit cum adversario, ad eum modum agit, Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Luc: 11. 13.
Iuan: 14. 16.
Act: 5. 32.

Spiritum sanctum a voluntate Patris pendere.

Quî verò eorum opera sint indivisa, cùm Pater spiritum S. petentibus largiatur; filium salutis humanæ causſâ mittat &c. ipse verò nec detur a spiritu S. nec dari possit, nec possit, ac ne potuerit quidem ullâ ra-

ullâ ratione mitti a filio? Tùm, quî potest filii & spiritus S. cum Patre una esse natura? Cùm, etiam secundum vestram sententiam, Pater communicet essentiam cum filio, at non filius cum Patre? Spiritus S. procedat a Patre, at non Pater procedat a spiritu S.? Præterea, cùm filius non collocaverit Patrem ad dexteram suam, sed Pater filium collocaverit ad dexteram suam: & non effuderit spiritus S. Patrem, sed Pater effuderit spiritum in credentes, quâ ratione hoc verum erit, Filium & spiritum S. eosdem effectus producere, quos Pater? & cùm fateatur Smiglecius, omnia verbo & spiritu suo facere Patrem, hinc infertur necessariò, patrem esse primam caussam. Nam qui alio, aut per alium facit quippiam, author & prima caussa facti censetur. Locum verò ad Corin: Patrem primam omnium operationum caussam, ostendere, superiùs demonstravimus.

Diversa Patris & Filii opera, arguunt diversam naturam.

Pergit: *Sin intelligat Moscorovius, Patrem voluntate sua libera, dona sua per spiritum S. largiri, id neque facit spiritum S. dependere a voluntate Patris, neque non esse primam causam. Nam quòad dependentiam attinet, ea esse non potest, nisi ubi sunt diversæ voluntates. Cùm igitur una sit eademque voluntas, & libertas Patris & spiritus S. sicut una est natura, non potest dici spiritus S. dependere a voluntate, sed unâ eademq; cum Patre voluntate & libertate velle & operari.* At, si Smiglecius fateatur, Patrem per spiritum suum dona largiri, voluntate sua libera, apparet spiritum S. a voluntate Patris pẽdere. Etenim, qui liberè agit per alium, quemadmodum vult, quantum vult, & quando vult, ab eo pendere per quem agat prorsus est necesse. Illa quæ subjicit Smiglecius, dependentiam esse non posse, nisi in diversis voluntatibus, non ostendunt, spiritum S., cum de illo largiatur Pater, quantum velit, quibus velit, quando velit; non pendere a Patris voluntate. Vnam verò esse eandemque Patris & spiritus S. voluntatem & libertatem, sicut una sit natura, eoque non dependere spiritum S. a Patre, placita sunt Smiglecii, non ullæ rationes, quæ etiam hoc ipso refelluntur, quòd Pater de spiritu suo largiatur, quantum velit, & quibus, & quando velit. Vt igitur una horum voluntas, libertas & natura erit? & spiritus S. a Patre non dependebit? quæ, cùm hîc iteret Smiglecius, non est, cur toties eadem repetamus, cùm ad fastidium toties sint repetita dum ejus premimus vestigia.

Patrem de Spiritu suo, quantum velit, largiri.

Tertiam exceptionem meam recitat: *Addit Moscorovius, etiam causam secundam nomine suo ea posse agere, quorum sit absoluta penes eam potestas, à primâ causâ concessa. Quocirca non sequitur, spiritum S. esse primam causam nostræ regenerationis & salutis, etiamsi in nomine ejus*

ejus regeneremur. At exceptio mea longè diversæ rei opposita est, quàm colligit Smiglecius. Etenim cùm Smiglecius in Appendice scripsisset, non convenire causſæ secundæ, suo nomine agere, excepi, quòd causſa secunda agere suo nomine possit ea, quorum sit penes eam absoluta potestas, a prima causſa concessa. Quamobrem ex hac exceptione hoc tantùm inferre debuit Smiglecius, causſæ secundæ etiam convenire posse, ut suo nomine agat. At ille longè diversum intulit, ut vides, lector candide & erudite. Excipit deinde, si per causſam secundam intelligam instrumentalem, sic illud falsissimum esse, sin verò nomine causſæ secundæ intelligam causam principalem, sed subordinatam causæ superiori, sic verum esse, posse tales causſas suo nomine agere. Nempè igitur Smiglecius agnoscit exceptionem meam esse veram, quòd etiam causſæ secundæ conveniat nomine suo agere, quod in Appendice præcisè negaverat. At negat, in salutis negotio, aliam causſam principalem, præter Deum dari, idque duobus testimoniis docet, Esa: 45. *Deus justus & salvans, non est præter me.* Mar: 2. *Quis potest remittere peccata nisi Deus?* & ait, *cùm scripturæ doceant, salutem nobis æquè in Patris ac filii, & spiritus S. nomine conferri, spiritum S. esse æquè ac Patrem principalem salutis causſam, ac ex consequenti verum Deum. Quod adeò verum est, ut etiam Christus Patrem missurum in nomine suo asseverare non dubitârit Ioan: 14. ostendens, æquè in nomine Filii ac in nomine Patris mitti spiritum S. & utrumque esse missionis causſam principalem, atque adeo unum esse utriusque nomen, in quo spiritus S. mittitur, & unam potestatem, quod idem de nomine spiritus censeri debet.* At quemadmodum verissimum est, principalem salutis causſam, esse Deum: si per causſam principalem, illam primam, quæ Pater est Domini Iesu intelligas, ita nullam esse principalem causſam salutis præter Deum, si per principalem causſam secundam, quæ est Christus Dominus noster, accipias, divinæ literæ refellunt; quæ, Iesum esse exaltatum dexterâ Dei principem & servatorem: ad dandam Israëli pœnitentiam & remissionem peccatorum, disertissimè testantur.

Causſam secundã etiam posse suo nomine agere.

Act: 5. 3.

Porrò quod scribit Smiglecius, æquè in nomen Filii & spiritus S. ac Patris salutem nobis conferri, litteras divinas testari, id testimonio illarum nunquam docebit, uti superius ostensum est. Quod verò affert, Patrem in nomine filii missurum fuisse spiritum S. id, tantum abest, ut ostendat, æquè spiritum S. in nomine Filii atque in nomine Patris mitti, ut ea verba demonstrent, cùm Pater in nomine Filii spiritum mittat, & filium esse subordinatum Patri, & spiritum sanctum

à missione Patris pendere, eoq; diversa ratione in nomine Filii, quam in nomine Patris spiritum S. mitti. Quod verò idem de spiritu S. censendum ait, undè id probat? Certè, cùm in nomine Filii a Patre mittatur spiritus S., porrò a spiritu S. & in nomine spiritus S., nusquam dicatur mitti spiritus S. perspicuum est, idem de spiritu S. quod de Patre aut filio, censendum non esse.

Caput V. inscripsit:

Per baptismum aquæ nobis peccata remitti, impiè a Moscorovio negatur.

SMIGLECIUS, quoties a me impiè negari aliquid pronunciat, toties suam modestiam & æquitatem, quam vult Apostolus notam esse omnibus, qualis sit ostendit. Nos tamen videbimus, quemadmodum, quod mihi objicit, comprobet. Ait igitur, me negare, per baptismum aquæ nobis peccata remitti, eò, quòd res materiata & corporea rei spiritualis esse principium nullo modo possit, nec divinâ institutione ei insitam probari queat. Et respondet, me multis clarissimis scripturæ testimonis contradicere, eoque me esse impium &c. At cui divino testimonio contradico? Illud Petri Actor: 2. producit. *Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum.* En crambem toties recoctam. At id quod secundùm Dei gratiam propriè pœnitentiæ est, uti superiùs sæpius demonstravimus, cur per vim, ad aquam baptismi pertrahit Smiglecius? Nam quod hîc præterea scribit, conjungi remissionem peccatorum immediatè cùm baptismo, & præter pœnitentiam etiam baptismum requiri ad remissionem peccatorum, ob idque, quemadmodum pœnitentiæ, ita baptismo illud attribuendum esse, nihil est. Etenim cùm hîc duo conjungantur, Pœnitentia & baptismus, & clarissimè literæ divinæ testentur, fide a Deo corda nostra purificari; pœnitentiâ peccata deleri, agnoscendum prorsus est, in hoc Petri testimonio peccatorum remissionem ad pœnitentiam propriè referri, ad aquæ baptismum impropriè, quemadmodum superiùs ostendimus. Cur verò de baptismo, idem quod de pœnitentia, dicere debeant, uti postulat Smiglecius, cùm de pœnitentiâ creberrimè expressè scriptum extet in divinis literis, eâ peccata deleri; at de aquæ baptismo nusquam id expressum propriè sit; & ratio ipsa evincat, divinæ æquitati esse consentaneum, ut hi, qui metu & amore Dei resipuit, veniam a clementissimo Patre delictorum suorum consequatur, at aquâ materiatâ labes animi expurgari, quæ ratio suadet? Nam quòd argumentatur, quòd cùm pœnitentia præcedat baptismum, ac

Act: 15.
Act: 3. 19.

Divina æquitas.

eam consequatur peccatorum remissio, tum baptismum non in remissionem peccatorum, sed post remissionem futurum, argutiæ istæ nihil prorsus valent. Cùm enim aquæ baptismus, in nomine Christi, professionem nominis Iesu Christi contineat, quæ Christo parendi conditionem secum inferat; nonné pœnitentiæ, ejusmodi professionem, in remissionem peccatorum commodissimè subjecit Apostolus, iis præsertim hominibus, qui Christo infestissimi antea hostes fuerant? Et tamen, quod professio illa, ex obligatione infert, nempè Christo parendi conditionem, quæ & ipsa ad pœnitentiam spectat, quam demũ, consequitur reipsa peccatorum Dei liberalitate, uti paulò ante docuimus, remissio; illud transferri ad aquæ materiatæ ablutionem, propriè non potest. At etiam & absurdè & insulsè a me dictũ ait, qui assero baptismum aquæ præceptum a Petro Iudæis Christo inimicissimis, ut eos ad professionem nominis Iesu induceret, & vim pœnitentiæ in abluendis per Dei gratiam peccatis, exteriore illo ritu repræsentaret, &c. At nonné ipse fatetur Smiglecius, baptismum ad profitendum Christi nomen, illis injunctum? Cur igitur id absurdum & insulsum vocat? Deinde Dei gratiæ vim in eluendis peccatis, aquâ baptismi adumbrari, estné dictum, aut contra divinas literas, aut contra rationem? Nec e Petri verbis constat, ullo modo id a me absurdè aut insulsè dictum. Quæ hîc inculcat, ea jam diluimus.

Quod professionis est, ad aquæ baptismum referri non possit.

Alium locum Act: 22. v 15. citat. *Baptisare & ablue peccata tua, invocato nomine Domini Iesu.* Atqui nihil horum sequi ex eo loco, quod vult Smiglecius, superiùs ostendimus. Accedit deindè ad mea refellenda. Me nimirum excipere, Paulum juberi non baptismo, sed invocatione Domini Iesu, delere peccata: & respondet, me perversè torquere scripturam. Quid ita? *Quia*, ait, *ut illo priori loco voluit prius baptisari fideles illos, & in nomine Domini Iesu, & in remissionem peccatorum, ita & hoc loco vult Ananias baptisari Paulũ, & abluendo peccata & invocato nomine Domini Iesu, neq; potest hic locus melius, quàm per illum &c. explicari.* At ratio hæc non ostendit, me perversè torquere scripturam, sed tantummodo locum hunc Act: 20. per illum Act: 2. explicari. Præterea, cùm Smiglecius negare non possit, invocatione nominis Iesu ablui peccata, cùm hîc Ananias Paulum baptisari & abluere peccata jubeat, invocato nomine D. Iesu; num scripturã perversè torquere est, hoc ad invocationem nominis Iesu, in eo loco referre, quod scriptura invocationi Domini Iesu propriè attribuit? nusquam verò attribuat propriè aquæ baptismo? Quod verò ait, locum hunc per illum explicari, eò, quòd de baptismo aquæ uterque agat, ratio

Invocatione Domini Iesu, peccata ablui.

hæc rem non conficit. Nam ut de aquæ baptismo uterque agat, tamen cùm diversâ ratione agat, non consequitur, alium per alium rectè explicari. Nam prior agit de pœnitentiâ & professione Christi, per baptismum in nomine Domini Iesu, in remissionem peccatorum, posterior hic de baptismo & ablutione peccatorum, invocatione nominis Iesu. At aliud est profiteri nomen Domini Iesu, quod fit in baptismo, aliud invocare nomen Domini Iesu, & opem ipsius implorare, ut peccata condonet, quod hîc præter aquæ baptismum, adjicit Ananias. Quamobrem fallitur Smiglecius, cùm locum priorem per istum posteriorem, propter aliquam in materiâ similitudinem, explicari optimè autumat. Deniqúe, cur copulam, &, inter abluе peccata tua, & ea verba, invocato nomine Domini Iesu, inseruit? nempè ut verba ad sensum suum faciliùs pertraheret. Vnde apparet, hoc ipsum hac ratione egisse, quod mihi injustissimè objecit. At etiam ex abluendi verbo hîc argumentatur, & aquæ baptismo attribuendam esse peccatorum ablutionem, ex eo, quia baptismo nominato abluendi verbo usus fuisset, infert. At licet Ananias abluendi verbo usus sit, non tamen consequitur inde, aquæ baptismo ablutionem esse tribuendam; cùm invocatione nominis Iesu, quam hîc subjicit, id fieri omninò, literis divinis testatissimum sit.

Ait deinde, *me ridiculè asserere, non esse decernendum ex fine & effectis communis lotionis, de fine & effectu, quæ fit in baptismo. Prorsus enim decernendum esse, cùm inter utramque lotionem sit proportio in ordine ad sibi convenientes effectus. Vt enim lotio merè corporalis causat* (ut habet Smiglecius) *ablutionem corporis, ita sacra lotio ex institutione causat sacram ablutionem, quæ est ablutio à peccatis.* At hæc verba sunt, ego verò probationes expectabam. Aquæ baptismum esse lotionem, quæ peccata abluat, probandum erat Smiglecio, non nudè asseverandum, cùm id ego prorsus negem. Ita proportionem aliquam inter ablutionem communis lotionis, & aquæ baptismi, quæ corporis sordes eluit, quamque ego lotionem animi nego, esse docuisset, & non esse decernendum ex communi lotione, de aquæ baptismo, ridiculè à me assertum, planum fecisset. Cùm id non fecerit, quàm ridiculè, vel potius quàm incautè ipse egerit, alii judicent. Quæ hîc de eodem loco differit, meræ sunt assertiones, aliis verbis vestitæ, toties a me superiùs refutatæ.

Vquę baptismum animi lotionem esse, Smiglecium non docuisse.

Recitat deinde mea, illam ablutionem interiùs in animo Pauli perfectam fuisse, & excipit, *quid hoc obstat, cùm illa lotio, quæ fuit in animo, causata sit ex lotione baptismi quæ fuit in corpore, quæ etsi ad animum pe-*

mum penetrare non poterat, quatenus erat communis, tamen quatenus erat lotio sacra &c. vim eam habebat, ut corpus tangendo animum abluere. Sic Christi saliva, fimbria vestimenti, manus impositio non ex se, sed quatenus erat Christi, vim habebat supra naturam sanandi morbos. At quid toties hæc ingeminat? probet aquam baptismi animi sordes abluere, rem obtinebit: probare non potest; assertionibus tàm vehementibus & perpetuis, nihil efficiet. Et ex iis, quæ de saliva & fimbria Christi narrat, non illicò inferre licebit, aquæ baptismi vim abluendi peccata inesse. Quanquam & illa omnia non externorum rituum, Christo ob certas causas usurpatorum vi, sed virtute Christi perfecta fuêre: uti cùm fimbriam ipsius mulier attigisset, Christus apud Lucam apertissimè fatetur, & hoc idem de Christi virtute, apertissimè ostendit Marcus scriptor divinus. Luc: 8. 46. Mar: 5. 30.

At me crassum nimium pronunciat, quòd scripserim, aquam baptismi ad animum non penetrare, sensum ipsum testari, & respondet, *quasi sensu & non fide patêre debeat effectus iste sacer, quem Deus per aquam facere statuit.* At Smiglecius, si ostenderit aquam baptismi materiatam ad animum penetrare, nimis subtilis a me habebitur. Quod verò opponit effectum istũ sacrum fide, nõ sensu percipiendũ, si effectus iste fide percipiendus est, proferat divinam revelationem: proferre non potest; ne fidem a nobis extra divinã revelationem exigat. Fides in divinis illic non exigenda, ubi nulla est revelatio divina.

Recitare pergit exceptiones meas: sola, inquit Moscorovius, invocatio nominis Iesu eam vim habuit, ut virtute ejus ablutio peccatorum perficeretur. Excipit Smiglecius, si intelligam solam invocationem perficere hoc potuisse, sine baptismo, esse falsissimum. At ego probo verissimum esse. Ex invocatione Domini Iesu contingit salus, uti docet Apostolus. Ergo & peccatorum ablutio. Nemini enim salus sine peccatorum ablutione, quocunque modo accipiatur, potest contingere. At probat Smiglecius: *Si Paulus baptizari noluisset, & sine baptismo nomen Domini invocasset, peccata sua non abluisset, imò peccato novo se oneravisset, Christi præcepto de baptismo contempto.* At nego istud connexum. Nam invocatione Domini contigit salus, ergo & peccatorum ablutio, uti paulò ante docuimus. Deinde aquæ baptismum esse præceptum a Domino Iesu, hactenus non docuit Smiglecius. Cur verò Paulo suaserit aquæ baptismũ Ananias, in refutatione Appendicis demonstravimus. Nam quòd scribit de invocatione, eam esse unum præceptum Dei, ad ablutionem peccatorum, & idem de baptismo aquæ censeri deberi, illud quidem de invocatione admitti debet, at non hoc de aquæ baptismo. Hoc longè omnium verissi- Rom: 10. 13. Ex invocatione nominis Iesu, salutem cõtingere.

mum est,& ambabus ulnis excipiendum, & perpetuò inculcandum, Christum factum esse, sibi obedientibus causam salutis æternæ, uti ex epistola ad Heb: citat, sed obedientia, quæ Christo debetur,nihil ad aquæ baptismum, quem ille permisit quidem, at ubi præceperit, ubi instituerit,doceat Smiglecius, non mentione baptismi, quemadmodum illi probare mos est, sed expressa mentione aquæ baptismi, aut circumstantiis ejusmodi additis, ex quibus evidenter, agi de aquæ baptismo, appareat.

Ait præterea, *invocationem nominis Iesu ad baptismum aquæ tanquam formam pertinere*, cujus rei probationem affert, *quod in nomine Domini fiebat*, & infert: *propterea aquæ baptismo ablutionem peccatorum tribuendam,quod invocatio,quæ peccata abluat, illius forma sit.* At hoc placitum est Smiglecii, formam aquæ baptismi esse invocationem, cui nullo modo verba, in nomine Iesu, in aquæ baptismo conferendo Apostolis usurpata,patrocinantur. Quod ut perspiciat Smiglecius ea testimonia, in quibus aliqua dicuntur in nomine Christi fieri perpendat. Dicit Christus, Patrem missurum spiritum sanctum in nomine suo: num igitur Pater invocaturus erat nomen Christi? Dicitur justus suscipi, in nomine justi, num igitur justus invocatur, dum suscipitur? alia innumera divinarum literarum testimonia, docere possunt Smiglecium,ex eo,ubi fit aliquid in nomine Iesu Christi, non inferri invocationem, atque eundem docere,quàm prudenter ex eo, quia baptismus fiat in nomine Iesu Christi,Christi invocationem, quæ nihil aliud est,quam ipsius opis imploratio, colligat:ac præterea etiamsi invocatio Iesu Christi, forma aquæ baptismi esset, quàm aptè illud, quod invocationis esset proprium, ad aquæ baptismum transferret?

Ioan:14. 26.

Matth:10. 41.

Invocatio quid sit.

Tum me adoritur & ait impudenter a me negari invocationem nominis Iesu propriè dictam, ad aquæ baptismum pertinere, eò quòd invocatio propriè dicta, a professione nominis Iesu, quæ fit in aquæ baptismo,differat, & respondet: *Invocare nomen Iesu est illud nominare,eo fine,ut ejus virtute salutem consequamur. Corde enim creditur ad justitiam,ore fit confessio ad salutem. In baptismo fieri nominis Christi ad salutem professionem. Confessionem igitur illam esse verissimam invocationem,illi similem,qua David in nomine Dei salvari cupiebat. Deus in nomine tuo saluum me fac.* hæc ille. At nego majorem istius argumentationis Smiglecianæ. Invocare nomen Domini Iesu, esse illud nominare, ad salutem consequendam. Nec locus Rom: 10. id docet, cùm nihil aliud, quàm vim fidei & confessionis, quæ ore fiat, declaret:in-

ret: invocationem Iesu, esse nominationem illius nominis ad salutem non demonstret. Non igitur hinc inferre potest, professionem nominis Iesu, esse verissimam invocationem, Davidianæ similem, in qua David salvum se fieri in nomine divino petit. Etenim David hîc implorat nomen Dei, ut in ejus nomine, id est, virtute, salvus fiat, quod proprium invocationis est; at in aquæ baptismo, in nomine Iesu conferendo, nominis Iesu fit professio, quæ ab opis imploratione multùm distat. Et cùm contra rem adeo planam, adeo naturâ suâ evidentem, nihil afferre potuerit Smiglecius, ut aliquid haberet, quod regereret, a me, qui negem professionem esse invocationem propriè dictam, id impudenter negari pronunciat, nimirum ut ingenii sui sublime decus ostendat. Ex iis porrò quæ attulimus, quæ subjicit Smiglecius, eadē, qui illius mos est, regerendo, dilui facilè possunt. Cùm enim ex professione invocationem colligat, nos verò hæc differre & naturâ suâ & perpetuo scripturæ usu demonstremus: & quod invocationis proprium est, ad aquæ baptismum transferre conetur, quod nos demonstrari posse, vel ipsius aquæ baptismi naturâ, vel divino testimonio, omni ratione negemus, non est cur amplius verba, quæ hic fundit, eadem repetendo, examinemus. At gloriatur etiam in his verbis, Interpretum omnium consensu, nempe quòd hic Ananias baptismo aquæ, conjungat invocationem. Quasi verò hoc a me negetur, in oratione Ananiæ hæc duo conjungi: sed doceat Smiglecius per illam professionem, quæ fit in aquę baptismo, invocationem omnes interpretes intellexisse, ita jure interpretum omnium consensu gloriari poterit. Ac præterea sciat, sibi cum ejusmodi adversariis rem esse, qui non hominum numero, sed divinorum testimoniorum auctoritate, & rationum pondere, premendi sint.

Smiglecii æquitas.

Tertium locum Marc: 16. 16. affert. *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit.* & ait: *En habes Moscorovi, salutem baptismo a Christo promissam.* At cum fidei hîc mentio fiat, cui passim in divinis est promissa salus, cur hanc promissionem ad baptismum solum restringit? Præterea cùm in divinis literis multiplex sit baptismus, ut in Appendicis confutatione docui, cur e mentione baptismi, aquæ baptismum aut aquâ baptisatum concludit? At excipit, quod tàm evidentis testimonii vim non potuerim evadere, nisi fortiter negando. At ego vim divinii testimonii agnosco, interim ostendo te, ex eo, quod vis, concludere non posse. At subjicit: *nullum Christianorum extitisse, qui de eo verborum sensu dubitârit, præter hæc Racovienſium pseudoChristianorum monstra atque portenta, quibus & solem in meridie lucere negare post-*

modum

modum haud absurdum & difficile videbitur. At hæc verba sunt,& quidem ab animo ægro & impotenti profecta, quæ licet nos petere videantur, ut in cœlum emissa tela, tamen non petunt, sed eodem, unde fuere missa, relabuntur.

Sed scribit Smiglecius. *Aio,* inquit, *Christum de eo baptismo loqui, quem prædicationi Evangelii adjungi præcepit Apostolis, ut patet ex Matth: 28. Docete omnes gentes baptisantes eas. At inauditum est, Apostolos alium quempiam baptismum post prædicationem Evangelii vel publicasse, vel contulisse fidelibus, nisi aquæ baptismum. Statim enim post annunciatum Evangelium, illos aquæ baptismo tingi volebant,* quod aliquot locis ex Actis Apostolicis allatis comprobat,& infert: *Ergo non possunt Christi verba nisi de aquæ baptismo accipi.* Quod multis deinde verbis inculcat, & pro mero delirio habendum judicat, quòd nos, quos ille titulis ab animo ægro subministratis subinde ornat, de alio baptismo accipiamus. At ordinemus argumentum Smiglecii, ut vis illius appareat. Quem prædicationi Evangelii, baptismum conjungi præcepit Christus,de eo hoc loco agit Marc: 16. At aquæ tantùm baptismum, præcepit conjungi prædicationi Evangelii, quemadmodum ex eo patet,quod nullum alium usurparint Apostoli. Ergo loco Marci 16. de aquæ baptismo, agit Christus. Nego majorem. Nec enim ulla inter hæc connexio. Conjungit prædicationi Evangelii baptismum Christus. Ergo de eo baptismo Marc: 16. egit. Si unum esset baptisma a Christo præceptum, major valeret; at cùm baptisma multiplex sit, uti docuimus, apparet majorem nihil valere. Minor est falsa. Nullum baptismum præcepisse Christum, conjungi Evangelii prædicationi, nisi aquæ baptismum. Nam ego nusquam a Christo præceptum esse aquæ baptismum contendo, primùm quòd nullum testimonium divinum proferri possit, in quo Christus disertè aquæ baptismum præceperit; secundò, quòd Christi baptisma, a Ioannis baptismate, eo tantùm differre Christus ipse & Ioannes Baptista testentur, quòd Ioannes aqua, Christus spiritu baptisaret. Nec verò hinc, quòd Apostoli aquæ baptismum usurpârint, sequitur, Christum alium ipsis baptismum non præcepisse. Cùm enim aquæ baptismum tantùm in nomine Christi usurpaverint, baptismus porrò, quem Christus præcepit Apostolis, sit etiam in nomine Patris & spiritus S., hinc apparet, eum quem usurpabant Apostoli aquæ baptismum, non esse baptismum quem Chtistus illis mandaverat & injunxerat. Nec enim executi fuissent Apostoli Christi præceptum, si alio modo quàm præcepisset executi fuissent, sed illud violassent, quod de luminibus orbis

Baptismus multiplex.

Executione præcepti, illius vim ostendi

orbis & Christi ecclesiæ fundamentis, ne cogitare quidem fas sit. At sic acceptis præmissis, ruit conclusio, & decretum D. Doctoris in nos strictum, collapsum est.

Affert deinde locum 1. Pet: 3. *Sicut in Arca octo animæ salvæ factæ sunt per aquam ita & nos similis formæ salvos facit baptisma, non carnis sordium depositio, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. Vbi,* inquit, *aquam diluvii confert cum aqua baptismi, quod sicut illa, arcam elevando in sublime, salvas fecit 8. animas in arca, ita & aqua baptismi similis formæ, seu antitypon, salvos facit baptisma non carnis sordium depositione sed bonæ conscientiæ interrogatione:* & ita infert, *salutem & purgationem conscientiæ aquæ baptismo tribui a Petro.* At hoc loco Petrus, non de purgatione conscientiæ, sed de bonæ, id est, repurgatæ fructu & firmamento agit, tantum abest, ut purgari eandem aquæ baptismo doceat. Deinde non aquas diluvii, cum aqua baptismi comparat, sed arcam, cum baptismo confert. Vt enim per arcam conservatæ fuerunt octo hominum animæ, ne aquis perirent, ita hujus arcæ antitypon, baptismus, nos æternum servat. Quò autem constaret nobis, de quo baptismo agat, addit: non carnis sordium depositio, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi. Nimirum ut planum faceret, non aquæ baptismum, qui tantùm sordes corporis deponere potest, nos servare. Excipit Smiglecius, *me de Baptismo spirituali, qui conscientiæ bonæ stipulatione constaret, adversus omnium interpretum sensum Petri locum accipere:* tum subjicit, *quasi verò, & baptismus aquæ &c. non possit dici spiritualis, quò ad effectum. Sicut & panis Eucharistiæ, licet materialis sit, & Christi carnem, quæ itidem materialis est, contineat, dicitur tamen a Christo esse, pro mundi vita Ioan: 6. & sanguis Christi, qui itidem materialis, proculdubio erat, dicitur fuisse in remissionē peccatorum, & lavisse nos a peccatis nostris. Quamobrem ex eo, quòd baptismo tribuatur effectus spiritualis, nempe conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, non licet inferre, Baptismum non constare aqua materiata. Potest enim effectus spiritualis non solùm a re spirituali, sed etiam a re materiata ex divina institutione conferri.* hæc ille. At primum baptismum hîc, de quo agit Petrus, describi bonæ conscientiæ in Deum interrogatione, ex verbis ipsius Petri manifestissimum est. Quæ descriptio, cum aquæ baptismo nulla ratione conveniat, efficitur, ut de aquæ baptismo locus is accipi non possit, quicquid interpretes hîc opponat Smiglecius, quorum tamen nullum produxit. Nam quod e ratione subjecta infert, ex conscientiæ bonæ

interrogatione in Deum, non licere inferre, ex effectu spirituali, baptismum non constare aqua materiata, extra quæstionem est. Etenim ego ex effectu spirituali non infero aquæ baptismum non constare aqua materiata, sed de aquæ baptismo, Petri locũ non posse accipi: licet hujus baptismi a Petro descripti, bonæ conscientiæ cum Deo stipulatio, natura sit, non effectus. Præterea cum Petrus baptismo, de quo hic agit, attribuat, eum prorsus servare, efficitur ut hujus baptismi particeps, perire nulla ratione possit. At aquæ baptismo tincti, periêre omnes, quotquot impiè vixerunt, & peribunt omnes impii, ut ut aquæ baptismo tincti fuerint. Sed illa eadem, quæ supra toties occinit, regerit, baptismum aquæ, quo ad effectum esse spiritualem: & rem materiatam divina ordinatione, posse producere effectus spirituales. at cui bono? ut quod ratione non potest, constanti asseveratione evincat? At alios quærat, apud quos iste agendi modus valeat, apud nos dudum explosus est. At etiam de pane Eucharistico, sua placita nobis obtrudit: cùm illa a nobis planè negari sciat, panem Eucharisticum cõtinere carnem Christi materialem, & eundem panem Eucharisticum esse pro mundi vita. Fatemur nos Christi carnem, vocari panem, & Christi carnem datam esse pro mundi vita, & quidem summo nostro bono: at non panem Eucharisticum, qui natura sit panis prorsus; & qui usu tantùm ab alio pane sit secretus, & ejus usus aliud nihil sit quàm ejus beneficii Christi, quòd carnem suam dederit pro mundi vita, annunciatio, & eidem pro eodem beneficio, ac Deo patri ipsius gratiarum actio, uti Paulus apertissimè testatur. Quotiescunq; panem hunc manducabitis, & calicem hunc bibetis, mortem Domini annunciatis, donec veniat.

Baptismi a Petro descripti natura.

1. Cor. 11. 26.

Subjicit *quod de baptismo noto & usitato, Petrum loqui oportuit, & aquæ baptismum solum cognitum fuisse credentibus. Baptismum spiritualem in scripturis ignoratum omnibus, nisi Arianis.* At falsum est, baptismum spiritualem, eo nomine dictum, nemini fuisse nisi Arianis observatum. Nam toties scripturæ baptisare Christum, spiritu S. pronunciant. Si igitur Christus spiritu baptisat, ergo baptismus Christi proprius, est spiritualis. Neminem verò extitisse fidelium, qui præter aquæ baptismum, alium in Petri loco somniaverit, verba sunt Smiglecii, sonum habentia, at non rei argumentum.

Baptismus Christi proprius.

Adhæc, addit, *si de aqua spirituali sermo esset, quid attinebat addere: non carnis sordium depositio?* At enim, cùm Petrus baptismo nos servari docuisset, quemadmodum arca illa eos, qui in ea fuêre, conservasset: ut constaret, quinám ille baptismus salutaris esset, addere debuit,

buit, quemadmodum addidit; non esse depositionem sordium carnis, quas aquæ baptismus eluere possit, sed conscientiæ bonæ in Deum interrogationem, quæ cui contigit, hunc a sordibus veris animi primùm, tùm etiam corporis lotum esse, non vero ablui, constat.

Pergit & prolixè *confessionem, quæ fit ore, invocationem, obedientiam Christi præceptis, fidem in nomine Christi, pœnitentiam, panem Eucharisticũ in salutem instituta recenset:* & infert, *cur aquæ baptismus ad confessionem & invocationem nominis Christi institutus, non censetur esse ad salutem.* Propterea inquam, quia inter alia omnia & aquæ baptismũ, magnum sit discrimen. Eò enim confessio est in salutem, quia, qui confessus fuerit Christum, promiserit Christus, eum se confessurum coram Patre & Angelis ejus: & invocatio itidem, quia salus veræ invocationi proposita sit: & obedientia præceptorum Christi, quia talibus Christus extiterit caussa salutis æternæ: & fides in Christum, quia toties eidem sit promissa vita æterna, & pœnitentia, quia hac deleri peccata nostra divinæ literæ testantur; at aquæ baptismo nusquam est promissa salus, nusquam eidem per se attributa. De pane Eucharistico egimus paulò superiùs, ostendimusque nihil tale promissum pani Eucharistico. Præterea posset aliquid in salutem fieri dici: quod tamen nullo modo salutem conferret. Nõ igitur etiamsi admitti posset, aquæ baptismum in salutem usurpatum, posset dici, illum salutem ulla ratione conferre, verùm tantummodo ad hanc salutarem Iesu Christi religionem, aliquo modo pertinere. Quod verò, ut alia, ita aquæ baptismum, ut salutem efficiat, a Christo habere scribit: quod asserit, probet. Infert deinde, me turpiter errare, aquæ baptismum ad salutem necessarium, non posse ex doctrina Christi probari. At enim cum Smiglecius, me turpis erroris condemnet, cur divina testimonia, quibus doceat oppositum, non profert? Egit quidem ea de re fusè, at nullum testimonium divinum, nullam rationem firmam, cui cederem, deprehendi.

Luc: 12. 8. Rom: 10. 10. Rom: 10. 12. Heb: 5. 9. Ioan: 3. 16. Act: 3. 19.

Nec verbis, nec assertionibus, sed rationibus res probari.

Repetit eadem, & dicit, *à Christo aquæ baptismum præceptum, eoque necessarium, seu de necessitate præcepti, seu etiam de necessitate medii* &c *agatur.* At hoc ego nego, Christum uspiam aquæ baptismum præcepisse, & illa verba servatoris, quæ de aqua & spiritu loquuntur, de aquæ baptismo agere, nec docuit Smiglecius, & ut docere possit, vehementer ambigo, quibus cum etiam regenerationem nobis ex aqua baptismi contingere, demonstrare laboret; nihil aget, nisi prius illa de aquæ baptismo prorsus accipienda docuerit. Verbis & asseveratione nihil proficiet Smiglecius.

Tum regerit illa testimonia Tit: 3. 5. Eph:5. 26. quæ ait contra omnium sensum ad aquam spiritualem me detorquere, illo nimis inepto argumento: quòd regeneratio, cùm res sit spiritualis, etiam lavacrum spirituale sit, necesse est, *quo sanè argumẽto*, inquit, *probaret neque sanguine nos redemptos, neque corpore Christi, quod in Eucharistia sumimus, nos vitam spiritualem consequi, contra expressa Christi verba. Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita: denique nec per manuum impositionem collatum spiritum S.* hæc ille. At primum expressis Apostoli verbis Tit:3.5. lavacrum illud spirituale esse doceo, cùm apertissimè spiritus S. lavacrum, quem Deus effuderit, illud vocet. At aquę baptismi, elementaris aquę lavacrum est, non spiritus sancti. deinde alter locus dicit, Ecclesiam mundatam lavacro aquæ. Si hujus lavacri vim & modum in verbo apertissimè ostendit Apostolus, cur Smiglecius hæc ad aquam materiatam transfert? Sed hæc toties repetere jam piget.

Spiritus S. lavacrum materiale non esse.

Quod verò attinet ad instantias, quas affert Smiglecius, illæ argumentationem meam non attingunt, tantum abest, ut oppugnent. Nam redemptio nobis contingit e Christi sanguine; at non ea ratione, quod nostram redemptionem sanguis Christi, insita vi conferat, sed quòd ea Christi sauguinem decreto Dei consecuta sunt, quę nos & a peccatorum & æternæ mortis vi redimant. Talia autem sunt Christi resurrectio, & illa divina poreſtas, quam Christus morte sua interveniente, decreto Dei consecutus est. Vnde apparet redemptionis nostrę rei spiritualis, causas esse spirituales, ad quas, decreto Dei ita ferente, pervenire Christus non potuit, nisi sanguinem suum in eum finem ante fudisset. At quid hoc ad aquæ baptismum? in quo rei materiatæ, aquæ, effectum spiritualem attribuit Smiglecius. Porrò, pane Eucharistico, nos consequi vitam spiritualem, Smiglecii commentum est: nec locus quem affert ullo modo istud commentum firmat. Christum enim hîc non agere de pane Eucharistico, multa docere possunt: primùm quod usus panis Eucharistici, eâ nocte, quâ Christus traditus sit, demum institutus sit, & illius modus ac finis ostensus; uti ex Matth: Luca, Marco & ex Paulo constat: at Christi oratio, de carnis ipsius esu, quam etiam panem appellavit, tanto ante mortem illius tempore habita fuit: secundò, quòd caro Christi sit pro mundi vita tradita, at non panis Eucharisticus: tertiò, quod panis Eucharisticus indignè sumi, & ille qui eum indignè sumat, perire possit, uti Apostolus docet; quòd panem hunc indignè manducans, judicium sibi manducet. At fieri nequit, ut Christi caro indignè sumatur, aut is, qui eam

Qua ratione sanguine Iesu Christi simus redempti.

1. Cor: 11. 27.

sumat,

sumat, perire possit, cùm Christus apertè profiteatur, quod manducans ipsum victurus sit propter eum. Impositionem quoque ipsam manuum vi sua non contulisse spiritum sanctum, superiùs docuimus, & hinc patet, quòd eam Pontificii retineant, nec tamen spiritum sanctum iis conferant, quibus manus imponant. Quod verò toties regerit, rem etiam materialem effectum spiritualem, vi ex Deo insita, edere posse, verba sunt. Doceat id fieri Smiglecius, rem obtinebit. Antequam docuerit, non ineptissimè, ut ait, sed perquam aptè inferetur semper, a re materiata immediatè non produci rem spiritualem. Nec verò ut scribit ea conjectura est, sed necessaria demonstratio, Christi etiam verbis innixa; quæ ex spiritu spiritum, ex carne carnem nasci pronuntiat, uti antea docuimus. De propria vocum significatione nescio cur agat, cum ipsi in sacramentis, ut ea vocant, etsi agnoscere videri velint; proprietatem vocum non servent. Etenim ex aqua simplici in baptismo, mundantem peccata constituunt; ex pane Eucharistico, Christi carnem, immò ipsum Christum, quæ nec aqua, nec panis naturâ suâ significent. Vnde planum est, a vocum proprietate eosdem recedere.

Ioan: 6. 57.

Rem materiatam, non producere effectum spiritualem.

Contortam esse verborum Pauli interpretationem hinc probat, quòd nullus interpretum aliter hęc intellexerit, quod Tertulliani vetustissimi Doctoris testimonio probat. At primùm interpretum ullum sic verba Pauli interpretatum, uti ipse vult, non docuit, aut docebit, nisi fortè suos producat. Tertullianus verò non Paulinorum testimoniorum vim explicat, sed in genere de fine illorum rituum externorum differit, qui finis admitti potest, licet ritus externi illa, de quibus loquitur Tertullianus, vi sua non conferant, uti nec conferre possint.

Deinde cum ego verba, *in verbo*, ursissem, ostendissemque lavacrum, *in verbo*, non esse in aqua elementari, infirmum meum argumentum excipit; primùm quòd voces, verbo vitæ, in exemplaribus Græcis non extent. At fallitur Smiglecius de vocibus, *in verbo*, quæ in omnibus Græcis exemplaribus habentur: vox quidem *vitæ* nusquam in exemplaribus Græcis, quod sciam, legitur, quemadmodum antea in Appendicis refutatione monueram. Deinde, cùm per verbum vitæ Evangelium intelligam, ait, *per lavacrum aquæ, doctrinam Evangelii me intelligere non posse, cùm lavacrum aquæ à verbo vitæ Paulus distinguat, & lavacrum aquæ habere vim nos purgandi in verbo vitæ seu per verbum vitæ.* At Paulus non dicit hæc; lavacrũ aquæ vim purgandi nos habere in verbo vitę, sed Christum purgasse Ecclesiam

lavacro aquæ, in verbo: nec distinxit lavacrum aquæ a verbo, sed expressit illud lavacrum esse in verbo; ut constaret qua ratione purgasset Ecclesiam suam Christus, nempe vi verbi, promissis scilicet illis ràm sublimibus & præceptis divinis, quibus ita purgatur Ecclesia Christi a suis inquinamentis, peccatis nimirum, quemadmodum lavacro aquæ sordes corporis elui solent. quod ut ob oculos poneret Apostolus, his vocibus usus est; & tamen has metaphoras, vocibus subjectis, *in verbo*, explicavit, ne quis illum, hæc de lavacro aquæ elementaris, protulisse somniaret.

Qua ratione purgetur Ecclesia.

Pergit: *Adhæc cùm tam expressè Paulus nominet lavacrum aquæ, seu baptismum aquæ, nullo addito, quod aquam ad improprium sensum astringat, quæ temeritas est, contra communem sensum omnium & legem scripturas interpretandi, lavacrum aquæ non propriè exponere?* hæc ille. At cum Paulus lavacro aquæ, *in verbo*, purgatam a Christo Ecclesiam asserat, perspicuum est, vocibus *in verbo*, lavacrum illud aquæ, ad Metaphoricum sensum ac proinde improprium restringi. Quamobrem videtur hîc Smiglecius, non rectè sensu ipse usus, cùm contra Pauli verba expressa insurgat, & me temeritatis, contra communem sensum, & scripturas interpretandi legem nitentis condemnet.

Verùm scribit, *aquæ baptismo optimè quadrare, quod additur in verbo vitæ, cum conferatur in nomine Patris, filii & spiritus sancti, ut omnes S. Patres interpretantur: & addit, verissimum esse Theologorum ex Augustino dogma: Accedat verbum ad elementum, & fiet sacramentum.* hæc ille. At alia verbi vis, alia aquæ baptismi. Quare quod fit vi verbi, hoc propriè aquæ baptismo attribui nec potest, nec debet. Vnde illas voces *in verbo* quadrare aquæ baptismum, conferri in nomine Patris, Filii & spiritus sancti Acta Apostolorum refelluntsuti ad nauseam toties dictum est, quæ in nomine Iesu Christi, semper aquæ baptismum collatum testantur, quorum certè longè major est, quàm omnium Patrum auctoritas. Postremò, placitum Theologorum ex Augustino, ut non quàm verum sit examinem, nihil juvat Smiglecium. Vt enim accedente verbo ad elementum fiat illud sacramentum, semper tamen ut verbi, ita elementi natura remanebit, ac proinde pro natura sua agat unumquodque, necesse est. Nec quod spiritûs est, unquam res terrena exequetur. At quod malè me inferre scribit, si ista purgatio fiat in verbo, eam non fieri in aqua, & excipit, *quasi verò non utrumque conjungi oporteat, aut non utrique eadem purgatio tribuatur, & unius effectus non possint esse plures causæ* Smigleci, eadem toties repetere, non est rem probare, sed apertissimè ostendere.

Virtus verbi divini propria, elemento non tribuenda.

dere, non habere quod respondeas: Doce purgationem æquè baptismo aquæ, ac verbo tribui, rem obtinebis: quamdiu id non probaveris, rectè semper quod verbi est, non posse ad aquæ baptismum propriè transferri, inferetur.

Recitat deinde locum ad Hebr: 10. 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda. Hanc*, inquit, *S. Patres de aqua baptismi interpretantur. Nulla enim in lege Evangelica aqua munda id est mundans præter aquam baptismi.* hæc ille. At quinám Patres, per hanc aquam mundam, hoc loco aquę baptismum intellexerunt? prodeant. Et si rationibus evidentibus instructi fuerint, manus dabimus; sin minus, idem quod primi Patres sensêre faciendum putabimus: Nihil esse, sine testimonio divino, aut ratione evidente admittendum. Præterea quæ hæc est prudentia Smiglecii, audere affirmare nullam esse in lege Evangelica aquam mundam, hoc est mundantem, nisi aquæ baptismum? Cùm enim Dominus Iesus ait: Aquam, quam ipse daturus esset, fore in credente fontem aquæ salientis in vitam æternam, nonné hæc aqua mundat verè hominem, quæ fons fit in eo perrennis, saliens in vitam æternam? *Credens in me, sicut dixit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Ergo hæ aquæ, quæ fluunt e ventre credentis in vitam æternam, non mundabunt credentem? Qua ratione igitur affirmabit, nullam esse aquam mundam, in lege Evangelica, nisi aquæ baptismum?

Nihil sine testimonio divino, aut evidente ratione admittendũ.

Ioan: 4. 14.

7. 38.

Exceptionem deinde meam ad locum Hebr: 10. 22. recitat, locum præsentem de aquæ baptismo non agere, quòd, ad quos idem author scripsisset, essent jam baptisati, ad quam respondet: *eos Paulum non hortari ad baptismum, sed ut habentes jam corpus ablutum aqua munda &c. accederent cum vero corde & plenitudine ad Christum.* At verò cum iste scriptor divinus adhortetur illos, ut accedant ad Christum, & accessus modum præscribat, in quo, primùm verum cor, in plenitudine fidei: deinde aspersionem cordis, a conscientia mala: postremò ablutionem corporis aqua munda ponat; perspicuum est, eos tàm ad accessum, quàm ad illius modum, quem præscripsit admoneri: ac proinde meam exceptionem firmam manere, nec testimonium hoc de aquæ baptismo accipi, & responsionẽ Smiglecii nihil valere.

Pergit Smiglecius. *ait præterea (Moscorovius) verbum & doctrinam esse aquam spiritualem & metaphoricam, quâ non solum animi purgantur, sed etiam corpora, dum a gula, ebrietate &c. retrahuntur. Nam Paulus 2. Cor: 7. ait has promissiones habentes, mundemus nos ipsos ab*

omni

omni inquinamento carnis & spiritus. At occasio exceptionis meæ, non erat Smiglecio supprimenda, quæ talis est: In appendice locum hunc Hebr: 10. 22. assensus est mihi Smiglecius, de aquæ baptismo ob rationem a me allatam, accipi non posse: verumtamen accipi pro doctrina negavit, nisi, inquit, fortè velimus verbo corpora ablui. Cùm itaque Smiglecio absonum videretur, verbo Dei corpora ablui, ego e Paulo ostendi, nos promissionibus illis divinis & spiritu & carne purgari. Excipit nunc Smiglecius duram hanc metaphoram, & contra Pauli mentem; & quæ a nullo facilè intelligi possit. Eum enim loqui de aqua corporis, de qua fidelibus tum constabat, eamque aquis veteris Testamenti opponit, tanquam mundam immundis. At ego non explicationi loci Hebr: 10. 22. opposui exceptionem meam, sed Smiglecio statuenti, inconveniens esse, verbo corpora ablui. Quamobrem Smiglecius ad rem non respondet, & a se ipso dissidet, qui cum antea de aquæ baptismo in loco Hebr: 10. 22. non agi mihi assensus esset, nunc iterum in eodem de aquæ baptismo agi contendat. Nec tamen, quod nunc vult, efficit. Nam duram esse Metaphoram & quæ a nemine facilè intelligi possit, verba sunt, non ulla ratio. Tum quid in eo duri, aut obscuri nimis, si dicantur corpora verbo ablui: cum hoc solum sit, quod planè totum hominem repurget, renovet & regeneret: quemadmodùm Petrus & Iacobus divinè scribunt: quorum ille nos renatos per verbum Dei vivum & in æternum permanens, hic Deum voluntariè nos genuisse verbo veritatis ait, ut essemus primitiæ quædam ipsius creaturarum; & cui verbo idem attribuit, quod animas nostras servare potens sit. Deinde Paulum loqui de corporis aqua fidelibus nota, id non efficit de aqua baptismi in loco Hebr: 10. 22. agi, cùm illis quos hortatur hoc loco, ut ad thronum Christi accederent, notum fuerit mundissimo verbo Dei, Christianos purgari. Sic enim servator discipulos suos instituerat: *Iam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis* at aquâ in baptismo elementari, cui nostra peccata, id credentibus primis incognitissimum fuisse, hinc perspicuum est, quòd in divinis literis nusquam id traditum habeamus. Quæ hic de modo purgationis differit, eam nimirum a corde initium capere & in carnem diffundi, extra controversiam sunt. Nec enim quæritur inter nos de modo nostri purgãdi: sed an aqua in baptismo elementaris, peccata nostra repurget. Pariter & illa, quæ hîc de aspersione cordis differit, aliena sunt: at quod scribit per ablutionem corporis, ablutionem aquæ baptismi intellexisse, hæc essent Smiglecio non nudè afferenda, sed ratione

Verbo, quòad Spiritum & carnem, nos purgari.

1. Pèt: 1. 23.
Iac: 1. 18.
¶ 21.

Ioan: 15. 3.

Aqua baptismi, peccata purgari, primis credentiũ incognitum fuit.

tione evidenti demonstranda, ut & illud, quod toties inculcat, aquam baptismi, licet corpus tangat, mentem tamen a peccatis abluere. Immò vero cùm corpus tantùm tangat; hinc apparet eam ad mentem non pertingere, ac proinde sordes mentis, peccata nimirum, nec eluere, nec eluere posse.

Pergit & inquit: *Accedit quòd Christus venit ad nos mundandos non in aqua solum, sed in aqua & sanguine 1. Ioan: 5. Aqua, inquam, vera, & sanguine vero.* Optimè, inquam, Christum venisse in aqua vera, & sanguine vero. Quid verò hinc efficis Smigleci? *Sanguinem nempe esse redemptionis, & aquam baptismatis, ad quod significandum sanguis & aqua e latere ipsius fluxissent, & utrumque hic a Paulo commemorari, & sanguinis aspersionem & aquæ ablutionem* &c. *& sicut per verum & proprium sanguinem fit in lege peccatorum mundatio, ita per veram & propriam aquam fit peccatorum ablutio.* hæc ille. At quæ scribit de aqua baptismatis, sunt glossema Smiglecii. Nec enim Smigleci Christo, qui baptisaturus erat spiritu S., atque baptisat, venit cum aqua elementari, aut venire potuit. Præterea hæc aqua, cum qua Christus venit, testis in terris erat, est, & erit augustissimi Christi muneris, nempe, quòd Iesus sit Christus. Sic enim idem Ioannes: *Tres sunt in terris, qui testantur, spiritus, aqua, sanguis, & hi tres unum sunt.* At aqua in baptismo elementaris, ejusmodi testis non est. Nullum enim argumentum subministrat, ex quo Iesum esse Christum, appareat. Illa etiam quæ de significatione aquæ & sanguinis e latere Christi fluentis affert, nudæ illius assertiones sunt.

1. Ioan: 5. 8.

Aqua baptismi, nõ est testis Christi.

Infert denique: *Nullam habere rationem Arianos per aquam in hoc loco Pauli intelligendi verbum, præsertim, cùm tàm expressè dicatur, aqua ista pertinere & abluere corpus, verbum verò, non corpori infundi-tur,* &c. *sed animo ut fide purificatum cor, mundetur ab omni inquinamento carnis & spiritus.* hæc ille. At quàm vera sit Smiglecii illatio, patuit superiùs. A quam verò istam pertinere ad corpus, nusquam dicitur expressè, ut asserit Smiglecius. Ablui aquâ istâ dicitur corpus, sed posse aliquid abluere corpus, quod tamen ad corpus non pertineat, hinc patet; quòd verbo, corpus ablui ipse hoc loco agnoscat Smiglecius, & tamen non corpori, sed animo infundi verbum vult, ut fide cor ab omni labe carnis & spiritus purificetur. Nam quòd scribit verbum, abluendo animum, abluere & corpus consequenter, ac rursus cùm hîc per ablutionem corporis dicamur mundari, non posse intelligi de ablutione, quæ fit per verbum: hæc enim fit per ablutionem animi, non per ablutionem immediatam corporis, quid, rogo,

sationis habet? Cur enim non potest ablutio, in loco controverso, per verbum intelligi? Nempe quia hîc de corporis ablutione agitur: At ablutio, ait ipse Smiglecius, quæ fit per verbum, animum priùs, ac pòst corpus consequenter abluit. Quasi verò, eo admisso, corpus per verbum ablui; quocunque tandem modo id fiat, rectissimè hoc loco etiam, ubi de ablutione corporis agitur, ablutio corporis ad verbum transferri non queat? Deinde ab efficacia baptismi Christi hanc, ut ille putat, veritatem probat, quod homines aquâ, at Christus spiritu in aqua baptisaturus erat. At hæc verba fuut. Quod enim testimonium divinum docet, Christum in aqua spiritu aut baptisasse, aut baptisaturum fuisse? Quam exceptionem cùm opposuissem Smiglecio in Appendicis refutatione, ipse nunc respondet: *Quis non videt*, inquit, *si Christus baptisaturus erat in Spiritu sancto, id præcipuè in eo baptismo, quem ille instituit*, &c. *verificari debuisse*. At verba hæc sunt, non ulla ratio. Doce Smigleci, Christum aquæ baptismo aut baptisasse, aut baptisaturum fuisse, & doce divino testimonio, aut inde deprompta ratione. Doce aquæ baptismum, uspiam, a Christo institutum. Nam quod fiebat ab Apostolis Christo permittente, non illicò Christum instituisse colligere licebit, nisi Christi præceptum producas. Quod vero rebaptisari eos oportebat, qui Ioannis discipuli fuêre, in Christi nomine, causa hæc erat, ut a disciplina Ioannis in numerum discipulorum Christi, publica Christi nominis professione cooptarentur. Testimonia quæ eadem sine fine repetit Smiglecius, superiùs ostendimus nulla in parte Smiglecio suffragari.

Christum baptisasse Spiritu, in aqua nuspiam in divinis tradi.

Scribit deinde. *Adhæc Paulus testatur Sacramenta legis veteris fuisse infirma & egena elementa, Gal: 4. 9. & legis ceremonias ad nihil perfectum adduxisse, quòd iustitiam & remissionem peccatorum non conferrent, Heb: 9. 9. Hebr: 10. 1.* At falsum est, sacramenta legis infirma & egena elementa Paulũ Gal: 4. 9. vocare, cùm iis verbis legem ceremonialem notet, uti ex iis quæ subjicit, apparet. *Dies observatis*, inquit, *& menses & tempora & annos. Timeo ne sine causa in vobis laborarverim*, &c. Loci verò Hebr: ab eo citati, inefficaciam sacrificiorum veteris legis hinc arguunt, quòd repeterentur, & efficaciam sacrificii Christi, quòd eo semel peracto, omnia sint perfecta. At quid hoc, rogo, facit ad collationem sacramentorum veteris & novi fœderis? Quanquam ista sacramentorum doctrina, ubinám quæso nobis in divinis literis tradita est? Quòd verò scribit, quosdam censere sacramentis novæ legis, in nobis excitari fidem promissionum divinorum, ii sanè quidam nos non sumus, & quæ hîc de sacramentis novæ legis differit,

Vnde efficacia Christi sacrificii, & infirmitas sacrificiorum legalium, inter cætera appareret.

caper-

ea perfectiora esse, quàm veteris legis fuerint, sonum verborum habent, veritatis divinæ quid in his apparet? Deberet Dominus Doctor aplacitis suis suorumque & alienorum recitandis abstinere; & nobis ea tantùm, quæ divino testimonio, aut evidente ratione sulta sunt, opponere.

Caput VI. proponit:

Fundamenta duo Moscorovii evertuntur.

ATtendamus igitur, & quemadmodum eadem evertat, videamus. Primum, ait, fundamentum est: Res materiata, effectum spiritualem præstare non potest. Quare nec aqua baptismi remissionem peccatorum; & respondet, *naturâ id suâ præstare non posse: atsi a Deo vim illam accipiant, & velut instrumenta assumantur, tum illos effectus edere.* At toties hæc jam recitavit Smiglecius, toties eadem regessit. Cur igitur ita otio, si non suo, certè alieno abutitur? Quod asserit, probet. Et cum postularemus a Smiglecio, ubinám Deus rei externæ, eam vim indidisset, ut effectus produceret spirituales? Excipit ille, se innumeris exemplis, id ostendere posse. Nam inprimis manuum impositione datum fuisse spiritum S., in Actis legimus. At in Actis quidem ad impositionem manuum seu per impositionem manuum datum spiritum S. legimus: at ipsam manuum impositionem vim habuisse divinitùs sibi insitam, conferendi spiritum S. nec in Actis nec usquam in sacris literis scriptũ extat, ut ante docuimus. Hoc autem est in quæstione, non illud. Quod verò de pane Eucharistico asserit, eum manducantibus dare vitam æternam; & in eam rem citat Christi verba Ioan: 6. Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, ut Græca exemplaria habent, qua ratione probat? Nam Christi verba ab eo citata, agunt de carne Christi, pro mundi vita danda. Ergò non de pane Eucharistico. Vocat quidem Christus carnem suam panem, at dum ex pane, Smiglecius Eucharisticum panem infert, ex genere speciem concludit. Deniq; ipsi Smiglecio panis Eucharisticus, non est panis, sed caro Christi vera & naturalis, de quo pane id Smiglecius prædicari, ut scholæ loquuntur, tanquam de subjecto vult, quod sit Christi caro: at Christus hîc carnem suam, panem ita vocat, ut de carne ipsius, tanquam de subjecto, panis prædicetur. Quare tantum abest ut opinioni adversariorum suffragetur, ut etiam contradicat.

Smiglecius ex genere speciem cõcludit.

Refellere deinde vult exceptiones meas, quæ illius assertioni, sub specie panis & vini, carne & sanguine Christi, nos participare,

oppositæ fuerant. Nempe illud non subsistere, cùm ut ante, ita post consecrationem, ut vocant adversarii, Apostolus panem Eucharisticum, panem vocet. Quare panis, etiam post consecrationem, ut vocant, naturam non maturi, ac proinde panem Eucharisticum in cæna Domini & vinum non naturâ, sed usu ab alio pane & vino discerni. Vnde consequitur nos pane, non carne, vesci, vino, non sanguine Christi in cæna potari. Deinde accidentia panis propria sine proprio subjecto cõsistere, implicare contradictionem. *Ille dicit everti hos errores his, quæ citavit, Christi verbis. Etenim quo ad primum attinet, ait de duplici pane Christus locutus est: alter is erat, qui per fidem sumendus erat; alterum panem promittebat se daturum pro mundi vita, qui panis caro ipsius erat, & hoc non alibi implevit, nisi cum in ultima cœna accepit panem & benedictione mutatum pronunciavit esse corpus suum* &c. *Quocirca negari non potest panem hunc esse Eucharisticum* &c. hæc ille. At hæc responsio Smiglecii non attingit exceptionem meam, tantum abest, ut oppugnet. Etenim exceptio mea evincit, e verbis Pauli, panem in cæna Domini post consecrationem, ut vulgo loquuntur adversarii, manere, at Smiglecius in verbis Ioan: 6. de duplici pane Christum loqui asserit, & inde panem, hunc, de quo Christus agat, Eucharisticum esse colligit. At quid hoc ad illud? Deinde expendamus responsionem Smiglecianam. *Agit*, inquit, *de duplici pane loco prædicto Christus*. At hoc ipsum Christi verba refellunt, quæ cùm de eo pane tantùm agant, qui fide sumendus sit, uti series totius capitis & verba v. 35. expresse docent, perspicuum est de alio, quem etiam ore sumere oporteat, non agere. Subsumit Smiglecius Christum, qui daturus erat panem pro mundi vita, impleviſſe id in sua cæna, panem in corpus suum benedictione mutato. At hæc ex verbis Christi non deducuntur. Asseruntur igitur temerè. Primùm quòd expresse Christus, juxta exemplaria græca, carnem se daturum pro mundi vita promittat, quam certam ob rem panem vocet. At ubi Christus, se carnem daturum pro mundi vita ait, nihil aliud sibi vult, ex scripturæ usu, quàm carnem se in mortẽ daturum, ut mundo vita contingat. Panis verò Eucharisticus, non est morti traditus, pro mundi vita. Ergo caro Christi, quam hîc Christus panem vocat, non est panis Eucharisticus. Quapropter quæ hîc carni suæ Christus certas ob causſas attribuit, ad panem Eucharisticũ, non potest torquere Sm. Sub specie panis, esse carnem Christi, ac ex consequenti conferre vitam æternam, Smiglecii placitum est, quod nec verbis Christi, nec ulla ratione firmatur. Porrò, quod scribit, Christum carnem suam verè cibum, & san-

Panem & Vinum in Eucharistia, sed usu, a communi pane & vino discerni.

& sanguinem verè potum vocare, quod verè a nobis sumatur,& verum cibi & potus effectum in animis nostris generet, admitti bono sensu potest. Etenim ut caro & sanguis Christi, effectum in animis nostris producat,animo is cibus,percipiendus est. Ore sumi non potest: Primùm,quòd corpus illud jam immortale & glorificatum existat; deinde,quod ore sumpta, in animo effectum non edant, quemadmodum ipse servator docet: Quod in os hominis ingreditur non intrat hominis cor, sed in ventrem & in secessum exit, purgans omnes escas. Quæ addit, *non spiritualiter solùm,sed reipsa & verè panem hunc manducandum esse, contra Capernaitas Christum asseverasse, non communi usu, sed spirituali inquit, ac divina virtute sub specie panis integram Christi carnem sine ulla sui divisione ad manducandum exhibente; idcirco fidem & spiritum,quo supra carnem attollerentur,in Capernaitis requisivisse. Spiritum enim vivificare,carnem non prodesse quicquam.* ejusmodi sunt, ut seipsa evertant & demoliantur. Nam si Christus a Capernaitis spiritum & fidem requisivit,ut supra carnem attollerentur, eò quòd spiritus vivificet,caro non prosit quicquam,ut agnoscit Smiglecius; certè carnem suam,de qua disseruit,spiritui & fidei,quibus perciperetur, non ori, quo caro reipsa,ut vult Smiglecius,sumeretur, proposuit quocirca ut nihil ad exceptionem meam respondit,ita neque hoc loco Christum agere de pane Eucharistico,aut carnem Christi,de qua hic disseruit,esse panem Eucharisticum demonstravit. Alterum errorem meum recenset, quòd negem,sub speciebus panis & vini corpori & sanguini Christi participari, eumque iisdem Christi verbis apud Ioannem coargui,demonstrare conatur. *Si enim*,inquit, *hic panis caro Christi est, pro mundi vita, quis non videt, in eo pane nos corpori participare?* At inquam, qui de pane hoc participat, quem apud Ioannem Christus carnem suam vocat, verum est carni Christi participare,verùm hunc panem esse Eucharisticum non docuit Smiglecius, neque docebit, aut carnem Christi ore sumi, ore manducari. Nec Paulus qui docet, calicem benedictionis esse communicationem sanguinis Christi, & panem quem frangamus participationem esse corporis Christi, docet nos ore participare, ore inquam sumere, carnem & sanguinem Christi: imò ex eo, quòd vocet calicem communionem sanguinis Christi, & panem frangi solitum, communicationem corporis Christi:colligitur non esse ipsum Christi sanguinem,ipsum Christi corpus,contra quàm Smiglecius docet: ac proinde qui panem Eucharisticum sumunt ore,eos nec corpus nec sanguinem Christi,ore sumere.

Ore sumpta, in animo effectus non edere.
Mar:7.19.

Tertium errorem, per se manifestum ait: Etenim, inquit, *cum accidentia sint res a subiecto distinctæ, alioquin accidentia non essent, rem autem quamlibet, naturâ ab altera distinctam, Deum sine altera conservare posse, nullam involvit contradictionem, sequitur etiam accidens sine subiecto conservari posse,* hæc ille. Atqui non ea de re quæstio est, an accidentia a subjecto distinguantur, verùm an sine subjecto subsistant. Natura accidentium est, in alio, & per aliud subsistere, & hoc ipso tanquam differentiâ specificâ a substantia, quæ in se & per se subsistit, differunt. Quamobrem cùm Smiglecius accidentia in se & per se conservari posse dicit, posse fieri, ut accidens non sit accidens, simul & semel dicit, ac proinde contradictione sese involvit. Nam quod addit, licet accidens a subjecto dependeat, tamen illam dependentiam, Deum suâ efficientiâ supplere posse, omnibus Theologis persuasissimum esse, eædem aliis verbis repetitæ nugæ sunt. Nec enim Theologorum Pontificiorum tanta auctoritas est, quæ illud æternum naturæ lumen, ut idem, non sit idem, aut aliquid simul sit aut non sit, labefactare aut dimovere loco possit.

Smiglecius sibi ipsi contradicit.

Sed excipit, mirum nihil esse pani Eucharistico, a me vivificandi vim denegari, cùm etiam carni Christi pro nobis in mortem traditæ idem denegem: quippe qui asseram Christi mortem esse imaginem, ad vivum expressam, ingentis Dei Christique amoris, quæ ad animos nostros transmissa & perpensa, excitat nos ad Deo Christoq; confidendum & ei parendum &c. At nusquam in divinis literis pani Eucharistico tribuitur, eo nos vivificari, sed ejus & vini usum, esse mortis Christi annunciationem. Ergo cùm nego pane Eucharistico nos vivificari, nihil pani Eucharistico, quod illius sit, denego, sed hominum commenta, uti veritati Apostolicæ debitus conservetur honos, repudio. At verò morti Christi, vim nos vivificandi nequaquam denego. Nam si contendo eam esse imaginem ingentis Dei & Christi erga nos amoris, quæ in animos nostros transmissa, nos ad Deo confidendum & eum redamandum & ei parendum rapit, nonné eo ipso ostendo, eam nos, qui eramus peccatis mortui, vivificare & vitæ novæ asserere? In quam sententiam præclarè Apostolus 2. Cor: 5. 14. & 15. *Charitas,* inquit, *Christi urget nos, æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, ut viventes non sibi ipsis vivant, sed ipsi pro ipsis mortuo & excitato.* Quatenus verò Christo via extitit ad illam immortalitatem & divinam potestatem, nonné vitæ futuræ nobis pignus extitit, ejusque nos certissima spe implevit, atque ad eum modum cum Christo convivifica-

Vinis Cœnæ Dni.

Christi morte, qua ratione vivificemur?

vificavit? Hinc Apostolus, nos convivificatos con resuscitatos, & collocatos in super cœlestib⁹, in Christo Iesu, a Deo, divinè differit. At ea sententia Smiglecio error est, & quidem per se impius, ut pote qui, ut ait, & omnem vim mortis Christi, atque adeo omnem Christi religionem evertat, quem a se alibi confutatum ait, & nunc ea ratione convellere laborat. *Etenim scriptura, ait, non solum eam vim tribuit sanguini Christi, ut nos excitet ad amorem & fiduciam in Deum, sed etiam vim intrinsecam ad lavandum peccata & mundandas conscientias, ut quod sanguis animalium in sacrificiis oblatus præstare non poterat, hoc præstet sanguis Christi uti ex professo probat Paul. Hebr: 9. & 10.* At cùm Smiglecius scribat, scripturam non solùm eam vim tribuere sanguini Christi, ut amorem & fiduciam in Deum in nobis excitet; nempe igitur fatetur, scripturam etiam tribuere vim sanguini Christi, amorem & fiduciam in Deum in animis nostris excitandi. Cur igitur eam sententiam, errorem, & quidem per se impium vocat? cur eam omnem vim mortis Christi, immò totius religionis evertere asserit? An scriptura divina errorem & quidem impium tradit uspiam? an docet, quod vim Christi mortis omnem tollat, aut ullo modo enervet, aut totius religionis Christianæ naturam exterminet? Agnosco quidem & apprimè lætor, sanguini Iesu Christi a divinis literis attribui, quòd peccata abluat, quòd conscientias mundet aut purget ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi, uti idem divinus scriptor Hebr: 9. 14. ait, & quòd id præstet, quod animalium sanguis præstare non potuerit: verùm hæc non tollunt illa priora, sanguine Christi amorem & fiduciam in nobis excitari, neque demonstrant, quod vult Smiglecius, vi intrinseca illius sive per modum pretii, sive per modum satisfactionis, sive per modum meriti, tollere peccata, idque a se in scripturis ostensum vanè in libro, quem citat, gloriatur, uti e confutatione ejusdem a Smalcio facta, cuivis perspicuum est. Quare quæ hinc infert, *negare sanguinem Christi vim ex se habere ad auferenda peccata, esse negare sanguinem Christi verum pretium redemptionis nostræ, Christumque non pro peccatis nostris propriè & immediatè sanguinem fudisse, sed pro excitatione amoris & fiduciæ in Deum, neque nos sanguine Christi ablutos esse, sed solùm nobis indicasse aliam quampiam rem, qua ablueremur*, ex illa sententia non consequuntur. Imò verò hoc ipsum, quòd Christi sanguis pretium redimendis nobis impensus & pro nostris peccatis fusus sit; causa est amoris & fiduciæ nostræ in Deum. Hinc enim perspicimus, quantoperè nos Deus & Christus amârit, quùm seipsum redimendis nobis divina vo-

Ephes: 2. 4.

luntate

luntate impenderit, & sanguinem suum pro peccatis nostris, ut illis exolveremur, profundere nun dubitarit; ac proinde ad redamandum Deum & Christum, eique prorsus fidendum incendimur. Qui sanguis cum voluntate Dei & Christi amore, pro nobis effusus fuerit, perspicuum est, quod Dei decreto & ordinatione fuso Christi sanguine peccata nostra expiata sunt, cùm fusionem sanguinis consecuta sit illa divina Christi potestas, quæ peccata nostra plenissimè aufert & tollit. Quod verò, quid eadem Christi potestas, quâ nos servet, id est ut nostram sententiam Smiglecius interpretatur, in animo & corpore resuscitet, ad lavandum nos a peccatis & auferenda peccata faciat, quærit; & excipit, *aliud esse peccata remittere, aliud nos in corpore & anima immortales reddere, & hoc nos Christo, illud Deo soli reservare*, sciat Smiglecius illud quo peccata tolluntur, ad auferenda peccata totum facere. At potestate Christi amplissima tolli peccata, cùm tollatur illorum pœna mors nempe æterna, in divinis literis testatissimum est. Neque exceptio quicquam valet, cùm falsa prorsus sit. Etenim cùm peccatorum remissio, ablatione pœnæ constet, & peccatis pœna mors æterna constituta sit; apparet peccati pœna, æterna nempe morte sublata, vitam æternam succedere, quod fortasse per immortales & animâ & corpore reddere nos intelligere, sed falsò, interpretatur Smiglecius. Etenim nusquam dicimus, nos in anima resuscitari, cùm hanc immortalem censeamus, deinde peccata nobis in Christo remissum iri prorsus existimemus, cùm nos æterna morte exoluturus sit. Non igitur id Deo soli reservamus, nisi tanquam caussæ primæ, ex qua omnia.

Christi potestate peccata tolli.

Rom: 6. 23.

Quod attinet ad exemplum de spiritu S., afflatu Christi dando quod Smiglecius attulerat, ut res externas ex se conferre spiritualia dona doceret, responderam primum esse factum Christi singulare, quod ad dogma cõstituendum trahendum non esset: Excipit, se non constituere commune dogma, sed errorem meum refellere, asserentem effectum spiritualem res externas non efficere. At quid hoc exemplo egit aliud Smiglecius, nisi ut rebus externis spiritualem effectum, produci ostenderet? Nempe igitur e singulari Christi facto, commune dogma constituere voluit. Quod verò ejusmodi effectus, sæpe per res externas Deum producere scribit, divinis literis non probabit Smiglecius. Nam spirationem istam Christi, vi sua spiritum S. contulisse, etiamsi tum spiritum S. discipulis fuisse a Christo datum concederetur, non docebit Smiglecius. Poterat enim esse signum, illius, virtute Christi dandi, multò verò minùs, cùm ne id quidem docere possit, spiritum S. tum datum fuisse. Sed

Inspiratione Christi, non datum Spiritum S.

Sed urget Smiglecius: *An lusisse Christus Apostolos videtur, cùm illos accipere jubebat quod revera tum non dabat.* At nequaquam lusit, cùm rem quam certò & mox daturus erat, eis dare se pronunciavit. Vsitatum quippe divinis literis tempore præsenti pro futuro uti, ob rei fidem certiorem, ut ante docuimus. Instat. *Annè tunc potestatem remittendi peccata, quæ sine Spiritu S. nulla est, ipsis verè non dabat?* At hanc potestatem eos exercuisse, antequam spiritum sanctum in die Pentecostes acciperent, nusquam apparet; imò cùm manere jussi essent Hierosolymis, & promissionem Patris, quam ex Christo audissent, expectare, apparet, nondum eodem spiritu sancto tùm donatos fuisse, quod hinc etiam conspicuum est, quòd ex Christo quærant, an illo tempore regnum Israël esset restituturus? Quæ oratio, arguit eos, quæ vis regni Christi & natura esset, tum nondum perspectum & notum habuisse. Quod quantum abest a spiritus sancti illuminatione, nemo non videt.

Apostolis Spiritum promissum non ante datum, quam Christus ad dexteram Dei consedisset & exaltatus esset. Act: 1. 6.

At adhuc opponit: *An non sufflatio ipsa veram & realem communicationem Spiritus S. designabat?* Sanè, sed quę brevi exhibenda esset, non verò, quæ tum exhibita fuerit. Sed erroris mei causam ostendit, eumque, ut putat, confutat. Erroris causa divinum testimonium censet: *Nondum*, inquit, *fuisse datum spiritum sanctum, quia nondum esset Iesus glorificatus:* quæ verba ille non de quacunque donatione spiritus sancti, sed de illa spectabili & amplissima in die Pentecostes prędicanda, interpretatur: *Alioquin*, inquit, *dicendum est tempore Christi in nullo fuisse spiritum sanctum, nec ulli datum fuisse, quod & absurdissimum, & scripturis repugnans, quæ multos tunc spiritu sancto plenos fuisse testantur, ut in Ioanne, Zacharia, Elisabetha, Simeone & aliis perspicuum est.* At isto effugio elabi non debet Smiglecius, non quamcunque donationem spiritus sancti, illa verba apud Ioannem designare; quasi ego de quacunque spiritus sancti donatione agam: & non de ea tantùm, quę secundùm promissum discipulis a Christo contigerit. Hanc Smiglecius discipulis a Christo contigisse, ante diem pentecostes doceat; aut si non possit, apertissimis testimoniis divinis cedat: quæ tum effudisse spiritum S. testantur Iesum, cùm illius effundendi virtutem ipse a Patre accepisset, ut divina testantur oracula. Exempla Ioannis, Zachariæ, Elisabethæ & Simeonis, nihil ad rem. Nec enim ii spiritum sanctum a Christo, quatenus ipsius discipuli erant, acceperunt, quemadmodum complures alii, quibus id Dei beneficentissima liberalitate concessum fuerat. Exemplum etiam fidei a se allatum, huc facere scribit, quę etsi spiritualis sit, per prędicationem externam,

Act: 2. 38.

nam, tamen infundatur; & recitata exceptione mea, quod vi sua non conferat fidem prędicatio, respondet: *negari non posse prædicationem externam, & verbum externum, suo modo esse causam fidei: id enim & scriptura docet iis verbis, quæ causæ rationem indicant, & ratio ipsa testatur: cùm verissimum sit, eum qui credit, propter prædicationem ejus auditam, credere, licèt ad credendum sola prædicatio non sufficiat*, &c. hæc ille. At revera non hoc in quęstione est, an prędicatio externa aliquo modo causa fidei censenda sit, sed an eam, vi sua conferat. Hoc enim nunc quæritur, num res externæ & materiales, producant spirituales effectus. Et id quidem ipse Smiglecius agnoscere propemodũ videtur, externam prædicationem vi sua non conferre fidem, cùm solam prædicationem ad credendum non sufficere fateatur. Sed expendendum est, an aliquo modo sit fidei causa, prædicatio externa. Sanè bono sensu hoc admitti posset; verumtamen non eo, ut statuatur ullo modo, vi sua conferre fidem. Etenim si naturam prædicationis externæ, quatenus externa est, expendas: ea tantùm aures ferit, neq; ultra aures extendi potest. Ergo fidem, vi sua nullo modo confert. At quod Paulus ait: Fidẽ ex auditu, &c. auditus, opera & ministerio verbi virtutem & significationẽ deferri animo intellexisse videtur. At verbi ad eum modum delati virtute, solicitatur ad credendũ animus, nõ prædicationis externæ sono. Quare ex eadem verbi virtute, in animo si probo existat, consurgit fides. Ac verissimũ quidem est, quod ait Paulus: quomodo credent sine prędicatione? Nisi enim divinitùs per Apostolos revelata fuisset Evangelii doctrina, nullã fidem in mundo in Christũ futuram fuisse. Sed actio externa, qualis est prædicatio, non est confundenda, cum interiore spiritus revelantis, qui inest Evangelio, virtute, & quod hujus est, illi attribuendum. Atq; ideo Evangelium ab Apostolo, spiritus vocari videtur. Vnde porro quid de prædicatione Evangelii, statuendum sit, perspici potest. Mitto, quam aptè idem Smiglecius, prædicationem Evangelii, cum rebus materialibus, qualis est aqua elementaris, conferat. Ac præterea, ne hoc quidem, quod hîc ait parergως, videtur subsistere: Præter prædicationem requiri gratiam excitantem &c. Nam si hæc gratia adest omnibus audientibus verbum Dei, cur non omnes credunt? cur etiam increduli tantoperè puniuntur? At Dei donum, fides vocatur. Prorsus. Nam si Deus gratis offert, nec opinantibus Evangeliũ, quod est causa fidei, nonné fides propterea Dei donum jure censeri & potest, & debet? Infert tandem, *ex illis omnibus consequi, per externam rem & materiatam spirituales res divina virtute effici*: At ex illis omnibus nequa-

Fidem nõ ex prędicationis externæ sono, sed e verbi virtute in animo probo emergere.

Actio externa, ab interioris spiritus, virtute discernenda.

Fides, qua ratione dicatur, Dei donum.

nequaquam id consequi, supra, ut arbitror, satis ostensum est.

Pergit & ait: Alterum meum fundamentum esse, nos non aliter quàm verbo Dei regenerari, & ait, *me toto cœlo errare, quia aliud sit per fidem justificari, quod scriptura affirmat, aliud per fidem solam justificari, quod scriptura nusquam affirmat: Etenim cùm ait nos fide justificari, excludit quidem opera legis, &c. at non excludit opera fundata in fide &c. disertè enim scriptum est, in Christo Iesu neq; circumcisio aliquid valet neq; præputium sed fides, quæ per charitatem operatur. Itaq; nisi fides sit charitati conjuncta, justificare non poterit.* hæc ille. At hæc exceptio, fide nos per charitatem operante, justificari, docet; quod in refutatione Appendicis, eodem Apostoli testimonio, quod nunc citat Smiglecius, docuimus: aliter nos regenerari, quam verbo Dei, non demonstrat. Non attingit igitur fundamentum meum Smiglecius, tantum abest, ut demoliatur. At nota hîc etiam calliditatem Smiglecii: Ita hîc de fide differit, ac si nos a fide charitatem & bona opera secernamus, qui fidei, apertissimè docti divinitùs, animam bona opera statuimus; a quibus fides integretur & compleatur, ut D. Iacobus ait, & fidem hanc, quemadmodum in refutatione appendicis apertissimè scripsi, perurgemus: at cùm Paulus apertissimè scribat, fide nos justificari absq; operibus legis; tùm, quatenus fides opponitur legis operibus; non autem obedientiæ, quam a nobis exigit Evangelium; ex sensu Pauli potest commodissimè dici, fide sola, nos justificari. Pergit & *non solùm charitatem, & bona opera in fide fundata, ad justificationem valere, scripturam docere* scribit, *verùm & sacramenta.* & hîc iterat testimonia illa toties ad nauseam ab eo repetita, quæ cùm superiùs omnia sint expensa, nihilq; tale in iis apparere ostensum, nihil est, cur eadem ipsius more toties repetamus: maximè cùm eadem, in sequente paragrapho repetat. At, inquit, *negat Mosorovius, sacramenta novæ legis, esse ad justificationem instituta:* quod ille & scripturis manifestissimis a se ostensum asserit, & repetit illa: qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit, & demonstratum a se, de baptismo aquæ, tum illa Ioannis, de pane Eucharistico accipi, ait: Qui manducat panem hunc, vivet in æternum. Atqui nos, nec illud de aqua elementari accipi, neq; hoc de pane Eucharistico, paulò ante demonstravimus. At hîc nostram iterum exceptionem exagitat, quâ ostendimus, ex usu illius panis apud Ioan: consequi vitam necessariò, ex esu panis Eucharistici non consequi vitam necessariò. Non igitur panem illum, cujus mentio fit apud Ioannem, esse panem Eucharisticum. Excipit Smiglecius. *Me non animadvertere ex esu panis illius necessariò*

Astus Smiglecii.

2. 22. & 26.

Quo sensu Paulus opera oppugnat fidei.

neßariò vitam æternam consequi non absolutè, sed solum si dignè sumatur, quod hinc certum esse vult, *quòd, etiamsi de esu non sacramẽtali, sed qui per fidem fit, verba Christi accipienda eßent, verum eßet, eos qui ita per fidem illum panem ederent ut sacramenta recipere nollent, indignè hunc panem esuros.* At Smigleci absolutè, nulla adjecta conditione, Christus ait: Si quis manducaverit hunc panem, vivet in æternum. Ergo absolutè ex esu hujus panis, consequitur vita æterna. Contra ex esu panis Eucharistici, tu ipse confiteris ita vitam æternam consequi, si dignè sumatur. Ergo panis Eucharisticus, non est ille panis, de quo apud Ioannem disserit Servator. Tua igitur responsio confirmat exceptionem meam, non tollit. Nam quod hîc de esu sacramentali, & qui per fidem fit, atq; tum indignè sumi, si sacramẽta recipere quis nolit, scribit, verba sunt. Quasi verò panis ille, qui fide sumitur, possit ulla ratione indignè sumi? aut locum, in usu panis hujus, usus sacramentalis si sensu vulgato vocem hanc accipias, habeat? Nec illud reticendum, Smiglecium id ê divinis literis non demonstraturum, ex usu panis Eucharistici etiam dignè sumpti, vitam æternam consequi. Nã eum quidem, qui indignè sumat, reum esse corporis & sanguinis Domini ex Apostolica doctrina constat, at non illicò sequitur, eum qui dignè sumat, servatum iri. Illud quidem consequitur, reum corporis & sanguinis Domini non fore. At non propterea illicò servari.

Ioan: 6. 51.

Quid ex eo, ubi dignè sumitur panis Eucharistic⁹, consequatur.

Scribendo pergit Smiglecius. *Addit Mosorovius, potestatem remittendi peccata, Apostolis datam nihil aliud quàm annunciationem continere, nempe credentibus remitti a Deo peccata, non credentibus retineri:* & ait: *insulsam eße interpretationem, uti a se in solutione Nodi Gordii c. 13. clarissimè demonstratum esse prædicat.* At hæc quam falsò scribat Smiglecius, ex accurata responsione Volkelii, refutationi oppositæ, quivis animadvertere potest. Verùm quædam etiam nunc objicit: *Scribit enim annunciare remissionem, non eße remittere: alioquin qui annunciare poßent, possent etiam dici remittere peccata pueri, fœminæ, dæmones, imò & quilibet sibi ipsi peccata remittere posset.* Fateor annunciare, non esse peccata remittere, quò ad effectum ipsum; qui tum demum, cum omnes peccatorum pœnæ, inprimis mors æterna, tollentur, quod in extremo die virtute Domini Iesu perficietur, apparebit: at non quò ad Dei decretum, cujus, in publicatione per Apostolos secundùm Christum facta, vis primum mundo innotuit, ad extremum usque mundi finem duratura. Quare vi hujus decreti, semper is cui innotuerit, in Christum credentibus & pœnitentiam secundùm Christi doctrinam agentibus, peccata remitti; si in Chri-

Annunciatæ remissionis peccatorum vis, quò ad effectum, & quò ad Dei decretum.

stum

stum crediderit & illi paruerit; peccatorum veniam certissimam habebit. At a Diabolo nunquam eam habere poterit. Eo enim ipso, diviniſſima hæc doctrina regnum Diaboli evertit: dum ſpe remiſſionis peccatorum propoſita & publicata, homines ad fidem & pœnitentiam invitat. Quî igitur remiſſionem peccatorum Diabolus annunciaret? ſed hoc eſt acumen Smiglecianum. Ad pueros & fœminas quod attinet; pueri, quod per ætatem diſcere non poſſunt, quî annunciarent? Fœminis verò in cœtu, Apoſtolus injunxit ſilentiũ: Quanquam privatim, quid prohiberet, fœminam etiam hoc Dei decretum annunciare alicui poſſe? quemadmodum a Priſcilla & Aquila edoctum viam Dom: Apollo exquiſitiùs, Act. 18. 26. legimus. Pergit & ait: *Nec enim Apoſtoli docendo & annunciando remiſſionem, peccata remittebant, ſed oſtendebant credentibus media ad remiſſionem peccatorum* &c. At enim hoc erat munus ipſorum, nec aliter unquam remiſiſſe peccata cuiquam, leguntur. Ergo hæc illorum annunciatio, erat peccatorum remiſſio. At infert ex his, *verbo Dei nos non juſtificari, niſi credamus ſacramentis a Chriſto inſtitutis nos juſtificari debere. Verbum enim id de ſacramentis teſtificari, ut ſi ſacramentis nos juſtificari non credamus, verbo Dei non credamus. Si autem verbo Dei non credamus, verbo Dei juſtificari non poßumus.* hæc ille. Atquæſtio erat, an aliter quàm Dei verbo regeneremur. Hoc enim Smiglecius ſtatuebat meum fundamentum, non verò an verbo Dei juſtificemur. Inter hæc quidem multum in divinis literis intereſt, etſi ea confundit Smiglecius. Porrò de ſacramentis, quæ vocat, non probavit quod ſcribit Smiglecius. Nusquam enim id verbum Dei teſtificari, quod aſſerit Smiglecius, ſuperiùs oſtendimus. Alias rationes firmiores afferat neceſſe eſt, ſi rem ſuam concluſam velit. Animoſæ aſſertiones ſine probationibus, iræ ſine viribus, ſunt ſimillimæ.

Caput VII. incipit:

Parvulis baptiſmum ad ſalutem neceßarium adverſus Moſcorovium demonſtratur.

Ait me non ſolùm virtutem, ſed etiam neceſſitatem baptiſmi tollere, quippe qui negem infantes baptiſandos. Et *appellat hoc impium dogma & a dæmone ad innumeras infantum myriadas perdendas inventum.* Os Smiglecii talibus conviciis aſſuevit; quid igitur a tali ore aliud expectes? Sed unde probat, impium id dogma? Scribit igitur *id ſe dogma verbis Chriſti evidenter atq; efficaciter convincere. Niſi quis re-*

natus fuerit ex aqua & Spiritu, (S. deest in textu) *nō potest intrare in regnum cælorum.* Verùm ad evidentem demonstrationem rei, & convictionem mei, oportuit afferri testimonium, in quo Infantes esse baptisandos, aut expressè contineretur, aut certè virtute ad eum modum, ne quâ elabendi ratio pateret. At hîc nihil tale, ut statim apparebit. Scribit igitur, me excipere, ea verba ad parvulos non pertinere, & respondet: *Vrgemus Moscorovium Christi verbis: omnes enim qui intraturi sunt in regnum Dei renasci oportere, Christus expressè docet* &c. *At parvulos intraturos in regnum Dei, negari non posse, eo docet quòd Christus dixerit: Talium esse regnum Dei.* Infert igitur, parvulos renasci. At primum non hoc in præsenti quæritur, an parvuli renasci possint, quod præsens argumentatio concludit, sed an locus ille: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu* &c. ad infantes pertineat. Possent enim infantes renasci, nec tamen is locus ad eos pertinere. Non igitur concludit, quod sibi propositum erat Smiglecius. Secundò majori hujus argumentationis, oppono simillimam argumentationem: Apertissimè Christus docet: Eum qui non crediderit, condemnatum iri. Ergo infantes credere, idq; actu oportet, nisi eos condemnari velimus. Excipiet, hoc ad infantes non extendi. Ergo & illud, inferam ego. Semper enim ejusmodi generales propositiones, ad eos, qui sub id genus & conditionem cadunt, restringuntur. Videt igitur ipse Smiglecius, quàm evidenter rem suam probet, infantes esse baptisandos, aut me convincat, qui id negem, quòd impium dogma, aut diabolicum astruam. Deinde quo ad assumtionem, hinc, quòd talium pronunciaverit Christus esse regnum cælorum; nego rectè concludi, infantes servari. Sed quærit: *annè, cùm talium dixit esse regnum cælorum, tales exclusit?* & respondet, *immò inclusit, tum quia modus loquendi,* ait, *id patitur, tum quia sola malitia & peccatum excludit a regno Dei; infantes verò, expertes malitiæ & peccati, pro exemplo poni eorum qui ingressuri sint in regnum cælorum.* hæc ile. Tum urget illas sententias generales, *quòd Deus nolit, ut quisquam de pusillis istis pereat, & velit omnes salvos fieri* &c. At quæstio est, an ex hoc loquendi modo, *talium est regnum cælorum,* rectè concludatur Infantes servari. Hoc ego nego, Smiglecius ait: *primùm modum loquendi id pati.* Verùm ad efficiendum aliquid, firma rerum connexione, opus est, non verò ut loquendi modus, id tantum patiatur. Quod verò ad generales istas sententias attinet, illas ad eos tantùm pertinere, qui conditiones iis annexas implere possint, quales non sunt infantes, perspicuum est. Ex eo igitur, quod Christus de infantibus loquutus pronunciavit, talium esse regnum Dei,

Argumentatio Smiglecii.

Refutatio superioris argumentationis.

Collectio firmo rerum nexu opus habet.

Dei, non rectè infert Smiglecius, ingressuros infantes in regnum Dei, ac neq; ex hoc rursus illos renasci oportere. Malitia verò sola excludit a Regno Dei, sed adultos; at hanc non cadere in infantes ipse Smiglecius agnoscit, eoq; illos propterea servari, colligi hinc non posse, liquet. Sed quia dixeram: Infantes extra ordinem esse, eoq; DEUM extraordinariam viam in iis servare; ille excipit, *si intelligam parvulos esse extra ordinem salvandorum, impium esse me, & scripturis contrarium, quæ Dei voluntatem & Christi redemptionem ad salvandos omnes homines pertinere prædicant: si verò eos extra ordinem esse adultorum velim, id esse verissimum, Deum enim modo cuique ætati convenienti,* ait, *ducere unumquemque ad salutem, non tamen ex eo consequi parvulos, ut intrent in regnum cælorum regenerari non debere, nulli enim datur illa cælestis hereditas nisi filiis* &c. hæc ille. At cùm scripserim Deum in infantibus extraordinariam viam sequi, quo fine illam affert hypothesin? Deinde cum voluntas Dei de servandis nobis, & redētio Christi, reipsa ad eos tātùm pertineat, qui propositas a Deo & Christo conditiones amplectantur, & in iis persistant: alioquin incredulos & impios servari oporteret: & infantes per ætatem illas cōditiones admittere non possint: apparet hanc Dei voluntatem & Christi redemtionē, in divinis literis contestatam, ad infantes non pertinere. Quid igitur hîc solidum, ad evertendum hanc hypothesin attulit? & tamē me impium & scripturis adversarium pro suo more pronunciat, qui in Dei sapientia & bonitate ac divina æquitate bonitati ipsius consentanea, quò ad infantes acquiescedum cuiq; putē. Iam verò, cùm idem, duci a Deo, via ætati cuique convenienti ad salutem quemque scribat, agnoscat, viam regenerationis, quæ adultis tantùm proposita est, infantum ætati non convenire. Nec enim eos animum voluntatemq; ad normam Christi legis componere posse constat. Nam quæ affert, hæreditatem non nisi filiis deberi, id quidem verè dicitur, sed de adultis, si, in parta dignitate perstiterint. Sed mea jam refellere instituit. Quod scripserim infantes non renasci, cum non possint credere: excipit *modum renascendi per fidem esse adultorum proprium at parvulis alium modum renascendi, nempe ex aqua & spiritu, Christum providisse, ipsorum ætati convenientem: qui sicut alieno actu peccatum contraxerunt, ita aliena fide (Ecclesiæ nempe) à peccato liberantur & renascuntur, recipiendo Baptismum, quæ est vera fidei professio.* At ex aqua & spiritu modum renascendi pro parvulis a Christo provisum, quod testimonium divinum docet? An asserere, quod est controversum, satis est Smiglecio? Nicodemus, cui id dogma proposuerat Christus, eo fine, ut, il-

Regenerationem infantibus non competere.

ut illi viam ad Dei regnum ostenderet, adultus erat. Ergo ineptissimè hæc ad infantes torquentur. Nam in disceptatione, Nicodemi causſa instituta quę de infantib⁹ agendi occurrebat occasio? Deinde quæ testimonia divina, infantes alieno actu peccatum contraxisse, & aliena fide, Ecclesiæ nempe, peccato liberari, idque dum aqua asperguntur, tradidere? Factum unius nō potest esse alterius naturâ. Ergo nec peccatum. Falsum igitur, alieno actu peccatum infantes contraxisse. Deinde si baptismus aquæ, est fidei professio, uti Smiglecius agnoscit. Ergo infantes fidem, quam non habent, profitentur? Ait, *non tantum fide, sed aqua & baptismo regenerationem perfici, ut præcedenti capite demonstrarit, & infantibus cùm ille modus nonconveniat, baptismum ad regenerationem sufficere in fide Ecclesiæ collatum.* At hæc sunt priorum repetitio. Aquæ verò baptismo nos regenerari; aut infantes; non docuisse Smiglecium, lectis responsionibus meis quivis animadvertet. De hac aliena fide, paulò ante diximus.

Disputationem Christi Nicodemi causſa institutam, ad infantes non pertinere.

Verùm ostendere vult, in quo decipiar, Smiglecius: nempe quòd putem idē esse renasci & credere, & respondet *credendi actum, tantum esse medium ad nativitatem spiritualem, & ad esse filiorum Dei, non verò ipsam essentiam filiorum Dei.* Fide in Christum Filios Dei constitui, e divinis literis in refutatione Appendicis expressè doceo: renasci & credere idem esse, nusquam, quod sciam, scripsi. Et tamen cum per fidem Filii Dei, omnes fiant, uti Apostolus apertissimè docet, renasci, ac proinde Filios Dei fieri credendo oportet. Non igitur erraverit quisquam, si hoc quidem sensu, pro eodem utrumque sumat.

Gal: 3. 26.

Quæ de credendi actu scribit, non esse ipsam essentiam Filiorum Dei, ne hoc quidem a me usquam astruitur. Verùm hoc assero, quòd divinæ literæ tradunt, ei, qui in Christum credidit, potestatem dari, ut Filius Dei fiat. Vnde efficitur fide durante, eandem dignitatem durare, extincta fide, eandem dignitatem extingui. Fidem porro & omnium virtutum Christianarum chorum, illarum habitu conservari; & peccati cujuscunque habitu exolescere, hinc perspicuum est, quod Apostolus, repulsa bona conscientia, fidei naufragium quosdam fecisse scribat, 1. Tim: 2. 19. & alibi, avaros aberrasse a fide, pronunciet. 1. Tim: 6. 10. At per spiritum S., nos effici filios Dei, si id de spiritu confirmationis intelligat, tum id probandum. Etenim spiritus confirmationis iis, qui jam sunt Filii Dei, datur, eoque datur ut reddat testimonium spiritui illorum, illos esse Dei filios, ac proinde Dei hęredes & Christi cohęredes. Hinc Apostolus ad Ephesios: *In quo & vos postquam audivistis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ) in quo*

Ioan: 1. 12.

Rom: 8. 16.

Ephes: 1. 13. & 14

in quo & postquam credidistis signati estis, spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ. Quæ verò de habitibus infusis a Deo, ratione quorum vult nos renasci, & effici novas creaturas, & ad omne opus bonum perfectos reddi, & Christum induere, scribit, quos vult sine ullo præcedente actu credendi, Deum infundere posse, ac proinde ab eodem de facto infantibus infundi, virtute baptismi, a se instituti, hæc examinanda videntur. Extra controversiam est Deum pro suo bene placito, donis divinis, quantumvis amplis ditare posse quos velit. At hîc quæritur, quid ordinariè a Deo fieri, literæ divinæ testentur. Fidem ex auditu, auditum per verbum Dei, testatur Apostolus: Ergo per verbum Dei, inseri fidem animis nostris apertissimum est; nec aliter fieri id ipsum est argumento; quod Deus incredulos gravissimè puniat: in charitate verò & spe ac aliis virtutibus eadem ratio valet; quare idem judicium. Ac sine causa tot argumenta fidei, spei, charitatis in literis divinis proposuisset Deus, & sine ulla necessitate, tam diræ & tam acerbæ & ignominiosæ ac infami morti objecisset Christum, si habitus istos infundere hominibus voluisset ac per eos illos renasci. Quod cùm inconveniens prorsus esset, certè habitus illos per verbum Dei acquiri constat, non autem infundi a Deo ordinariè. Eosdem verò infundi infantibus nec divino testimonio, nec ratione probabit Smiglecius. In Ioannis exemplo, quo id confirmare vult, privilegium singulare extitit. At lege hîc communi opus est, non privilegio, ad commune dogma constituendum. Præterea non apparet, habitus fidei, spei, & charitatis ac cæterarum virtutum Ioanni infusos fuisse. Ait deinde me negare Ioannem cum nondum natus esset, regeneratum fuisse, & respondet, *quasi qui spiritum S. accipit non sit verè regeneratus, nec sit nova creatura & Filius Dei.* At verum quidem est eum, cui spiritus S. ille detur renatum esse, & novam creaturam, & Dei Filium. Nam talibus tantùm spiritum S. illum, ordinariè, dari divinæ literæ testantur. Sed Ioannem, cùm nondum natus esset, regeneratum fuisse, non apparet, quòd regeneratio sit vitæ ante actæ secundùm doctrinam Domini Iesu reformatio, quod in Ioannem necdum natum cadere nullo modo potuit. Equidem agnoso, dùm divinitùs renatis & Chiisto obedientibus confertur spiritus S., magnam vim in animis ipsorum percipi, sed hoc ipsum non ostendit Ioannem regeneratum fuisse, cùm necdum natus esset.

Scribit porrò *quod de S. Ioanne baptista dicimus, idem de parvulis innocentibus cum universa Ecclesia Catholica fatemur.* At Ioannis privilegium, qua lege commune iis fiet, de quibus nihil tale in divinis,

Spiritus confirmationis S., est arrhabo futuræ felicitatis.

Habitus Christianarum virtutũ, unde.

Habitus infanti Ioanni Baptistæ, infusos a Deo, nusquam tradi.

In Ioannem Baptistam, cùm infans esset, degenerationem cadere nõ potuisse.

ut de Ioanne, legimus. Non igitur quod asserit Smiglecius, aut cum universa Ecclesia sua fatetur, sed quod legitimè e divinis literis & rationibus inde petitis evidentibus probaverit, nobis attendendum est. Christi causa occisos, & privilegium martyribus a Christo propositum obtinuisse, quod scribit Smiglecius, e divinis literis doceri non potest. Nam martyres Christi causa eò occumbere dicuntur, quia eos non pudet Christi & Evangelii in hac generatione adultera & peccatrice, sed eum liberrimè confitentur; Ac iis Christus, singulare privilegium proposuit. At infantes ab Herode perempti, Christum nec illius Evangelium sunt professi, quippe cùm necdum id publicatum fuisset, nec ipsi per ætatem sinistram vel dextram nosse poterant, qua ratione dici possunt, pro Christo occubuisse? Nam quòd inferiùs scribit, Christum moriendo confessos esse, nugæ sunt. Qui enim morientes Christum confiterentur, quem viventes extitisse, ignoraverunt? At etiam de circumcisis ante Christum, idem nos sentire jubet. Sed contra manifestam rationem, nihil sentire debemus. Quod verò me dubitare vetat, eos regenerari, quos Deos servat, de eo quidem non dubito renatos secundùm doctrinam Domini Iesu servatum iri: at non illico, quotquot servati fuerint, renatos fuisse colligere possum, eò quod videam leges nobis a Deo poni, at legibus eundem ipsum a se positis non obstringi. Est enim Dominus prorsus absolutus, qui ut nullas accipit, ita nullas sibi ponit leges, nisi pactum ipsius intervenerit. Scribit deinde me asserere, hoc interesse inter generationem naturalem & spiritualem, quod in illa res generanda &c. non concurrat cum generante, at in hac rationem & voluntatem hominis concurrere, cum spiritu Dei & Evangelio &c. Et respondet *errare me toto cælo: si hunc concursum necessarium ex rei natura existimem, cum generatio spiritualis in infusione donorum permanentium & habituum supernaturalium, qui absque ullo actu nostro infundi nobis a Deo possunt, consistat, uti a se ostensum ait: Solum igitur istum concursum in adultis requiri* &c. *eam vero legem infantes non afficere.* At Smiglecius, pro more suo, hîc occasionem dictorum a me suppressit. Hæc enim ad orationem ipsius, qua generationem spiritualem & naturalem conferebat, a me allata fuere. At cùm eum nunc concursum, in adultis necessarium agnoscat, cur me errare toto cælo pronunciat? Ait generationem spiritualem in infusione habituum supernaturalium qui absque ullo actu nostro infundi nobis a Deo possint, consistere, ut ostenderit. At hoc recitatione & narratione nuda, non approbatione rei ostendit: deinde hinc, quòd hac lege non affici in-

Martyres, qua ratione pro Christo occumbant.

Infantes ab Herode peremptos, pro Christo non occubuisse.

Deum esse absolutissimum Dominum.

ci infantes scribat, nonné eos non regenerari concludi potest? De habitibus quod scribit, *eos non esse necesse ut statim erumpant in actus, sed satis esse ut ita perficiant potentiam hominis, ut eam idoneam & perfectam reddant ad actus sibi convenientes efficiendos*, falsum est, habitus non erumpere in actus, opportunitate invitante. Etenim ubi sunt, illicò iam perfecta est potentia hominis, ad illud exequendum, cui exèquendo habitus eam aptam & accommodatam reddidit. Nec potentia rationalis, quicquam huc facit, quæ natura homini contingit, tempore suo in actum eruptura: at habitus acquiruntur, & actibus frequenter iteratis comparantur, & acquisiti illicò potentiam naturalem perficiunt, ut ad agendum sit apta. Infert deinde *fidem quidem a Deo requiri, tàm ad regenerationem, quàm ad Baptismum, sed in adultis; absolutè tamen, neque ex natura rei requiritur actus fidei ad regenerationem, neque ex lege Dei ab infantibus sive ad regenerationem sive ad baptismum*, & repetit toties a se dictum, *quod sint capaces salutis, eoque regenerationis*. At unde probat, ex natura rei non requiri fidem ad regenerationem? Fide divinæ literæ testantur, nos nasci ex Deo. Ergo fides ad regenerationem, ex natura rei necessaria est. Quod ad infantes attinet, id quod toties ingeminat Smigl., superiùs diluimus.

Habitus vis & ingenium.

Ioan: 1. 13.

Fidem ad regenerationem prorsus requiri.

Excipit deinde mea: renasci, in parvulos non cadere, quippe qui nec dextram nec sinistram norint. & ait, *me non intelligere, non unũ esse renascendi modum. Nam parvulos, ut adultos, per proprium actum non renasci, sed absq; proprio actu per baptismum ex aqua & Spiritu S.* hæc ille. At hoc non semel ostensum est, nihil valere. Etenim unicus renascendi modus, ubi proprius intervenit actus, in divinis literis extat: extra eum, nullus alius: & Christus in illo figurato loquendi modo eundem prorsus expressit, qui ad adultos pertinet. Etenim adultum Nicodemum de via ad regnum cælorum ducente, Christus tùm, cùm ageret cum illo, erudivit, non infantibus modum regenerandi, de quibus nulla tum erat occasio, præscripsit, ut antea planum feci.

Vnica renascendi ratio.

Pergit: *Ait*, inquit, *Mosorovius se parvulos baptismo non privare, cùm ad baptismum nulla ratione pertineant, nec effici eos privari vita æterna si baptismo priventur, neque hoc Diaboli inventum sed Apostolicam doctrinam. Regnũ Dei non in externis consisteret*, &c. Et respondet: *Nimis insulsam hanc evasionem. Nam quod ad primum attinet, infantes à nobis baptismo privari, quod ad baptismum jus habeant idem, quod ad salutem.* At primum nego, etiamsi serventur, illos ad baptismum pertinere. Nec enim qui servantur, ad omnia quæ in religione Christiana proposita habemus, illicò pertinere iudicandi sunt. Pertinere eos ad sa-

lutem agnoscit Smiglecius, idem tamen ad fidem eos pertinere negat, sine qua tamen nulli salus contingit ordinariè; non ad cœnam Domini, quam illis non offerunt Pontificii; & tamen credunt esum panis Eucharistici, esse salutarem. Videt igitur Smiglecius perperam a se colligi infantes, eò quòd ad salutem pertineant, ad baptismum pertinere, eoque jus hoc, quod summum vocat & urget, non esse jus, sed erraticam opinionem. Pergit recensere juris species. *Pertinent jure Christi, eo quod Christus, pro iis omnibus, pro quibus mortuus est, baptismum instituit.* At falsum est, Christum aquæ baptismum instituisse: præterea cœnę usum, nonné omnibus, pro quibus mortuus est, instituit. At cur infantes ab ea arcent? Videt igitur hîc etiam, id opinione eorum jus niti, non lege divina. *Pertinent*, ait, *jure scripto & in sacris literis toties expresso, in illis generalibus sententiis, quæ omnes omnino comprehendunt.* At istas generales sententias, ad eos tantùm, qui sub id genus cadunt restringi, aliæ similiter generales sententiæ demonstrant. Non credens damnabitur: nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis ipsis: qui manducat hunc panem, vivet in æternum: qui credit in me, habet vitam æternam. Quare videt Smiglecius, etiam in ipsorum opinione jus hoc fundari, non in ullo divino firmamento. Addit denique, *pertinent jure præscriptionis. Hujus enim juris possessionem & usum semper habuerunt in Ecclesia Dei ab ipsis Apostolorum temporibus.* At hanc præscriptionem ab ipsis Apostolorum temporibus cepisse non posse doceri, hinc perspicuum est, quòd nullos infantes unquam aquâ baptisarint, aut baptisari jusserint Apostoli. Deinde è natura ipsius baptismi, quæ est Christi professio. At certissimum est, infantes Christum per ætatem profiteri non posse; ac proinde ad Actum professionis, nullo modo pertinere. Deniq; nulla pars religionis Christianæ est, quæ non sit arbitraria. At infantibus baptismus nescientib⁹ quid illud sit, obtruditur. Fit igitur id, contra omnem religionis Christianæ naturam. Quamobrem ad Apostolorum tempora, hanc præscriptionem non potest referre Smiglecius. Illud verò quod scribit, *quòd communi usu fidelium receptum est, nec ab aliquo concilio vel homine legitur unquam institutum, ab Apostolis traditum ac institutum censeri, merito asserere Augustinum*, nos non afficit. Etenim assertionis istius nulla evidens ratio apparet. Dormientibus quippe hominibus, irrepere hæc potuêre. Quod verò eadem se contra Smalcium probasse asserit, ab eodem Smalcio, egregiè confutata meminerit. Quæ igitur infert, *nos alieni juris invasores esse; in animas sævire; & innumeros homi-*

Ioan: 6. 53. & 58. & 47.

Infantes cur ad aquæ baptismum non pertineant.

homines, Christi sanguine redemptos, a divina gratia & regno Dei in æternum per summum scelus ac impietatem arcere; convitia sunt; ab impotenti animo Smiglecii profecta, ipsi nimium, nimium inquam, familiaria, non ulla autem legitima e superioribus illatio, uti e superioribus liquere existimo. Quod verò baptismum vitam æternam conferre negem, ait *esse fidelibus inauditum errorem, & quam plurimis sacrarum literarum testimonis repugnantem, a se demonstratum.* At ipsissima veritas est, aquæ baptismū non conferre vitam æternam, quam etiam exemplorum millia baptisatorum hominum impiorum, qui certò ob impietatem periêre, asserunt, & mirum esse, extitisse fideles, qui adeo crassum errorem admiserint: repugnare verò id sacris literis, nec docuit Smiglecius, nec docebit in æternum, aquam baptismi elementarem, vi sibi aliquâ divinitus inditâ, conferre vitam æternam. Quod verò ad res externas, in quibus non consistere regnum Dei, ex Apostolo docueram, attinet; me nec scripturam intelligere, nec ad rem ea uti scribit. Audiamus ergo tantum magistrum. *Nam etiamsi*, inquit, *in rebus externis secundum se spectatis non consistat regnum cælorum* &c. *si tamen spectentur, ut a Deo sint institutæ & præceptæ, ad salutem nostram plurimum faciunt* &c. At hoc toties repetit Smiglecius, ut legere me eadem tædeat, quid vero rescribere? Deinde non hoc est in quæstione, an res externæ ad salutem faciant, hoc enim extra controversiam est, si a Deo sint præceptæ; verùm id quæritur, an illæ vi sua, etiamsi a Deo præceptæ fuerint, vitam æternam conferant; & eam vim inditam a Christo rebus externis esse, quemadmodum de Sacramentis se credere fatetur Smiglecius, hoc non probavit, nec verè unquam idem probabit.

Baptismum aquæ conferre vitam æternam, censere, errorē esse crassum nimis.

Ait igitur, hoc modo intellexisse Apostolum locum illum. *Escam enim temporalem, nihil facere ad salutem, sive manducetur sive non: non tamen hoc dicere de esca sacramentali, de qua scriptum reliquit* 1. Cor: 11. 19. *Qui manducat indignè judicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini, similiter & de aqua baptismi* &c. *quæ usurpari jubetur in remissionem peccatorum, similiter de impositione manuum, per quam dabatur spiritus S. & de sanguine Christi quo redempti sumus, nequit dici sine insania incredibili, quod in eo non sit salus.* At Apostolus de rebus externis generatim loquitur, ut inferat in delectu ciborum, quæ pars erat Religionis legalis, regnum Dei non consistere, atque ita sublato genere, tolli omnem speciem, sub eodem genere comprehensam doceat. Non loquutus est ergo de temporali cibo, per quem communem intelligit Smiglecius, sed de cibo illo, quatenus tan-

De quo cibo Apostoli verba accipienda sint, in loco præsenti.

quam res religiosa usurpabatur. Alienissimum enim fuisset, gravitate Apostolica, docere in communi cibo, non consistere regnum Dei? quasi verò quisquam tam stupidus fuerit, qui id per se non intelligeret. Ergò Dominus Doctor, si de communi cibo Apostolum agere intellexit, ut ipse apertè scribit, non videtur ipse sensum Apostoli assecutus esse. Porrò & de esca sacramentali, ut loquitur, & de aquæ baptismo, & manuum impositione posse & debere hæc verba Apostoli accipi, hinc perspicuum est, quod eadem externa sunt, nec vim a Christo inditam ullam habent, vitam æternam conferendi: Nec verò oppositum docuit, neque docebit Smiglecius, uti ex refutatione allegationum harum, quas toties Smiglecius repetit superiùs, satis patêre arbitramur. Quod ad sanguinẽ Christi attinet, potest quidem dici sanguine nos Christi, hoc est morte, vitam æternam consequi; sed non propterea, quod sanguis Christi, vitam æternam nobis vi sua conferat, sed quod via Christo fuerit ad illam divinam potestatem adeundam, qua omnes sibi obsecundantes, servaturus est.

Quo sensu Christi sanguis vitam æternã conferre, possit dici.

Cum verò, ajo, oportere homines piè vivere, nec rebus externis confidere, hoc de iis accipiendum quos lex Dei comprehendit: sane itidem ego urgeo. Ad infantes id extendi, nusquam insto. At *quòd non negat infantes, piè vivere suo modo* &c. hoc inquam, ego nego. Pietas enim, ut virtus omnis, in actione, occasione oblata, consistit. At infantes pietatis actus exercere non possunt. Ergo nec piè vivere. Ait *eosdem pios in se esse, sanctificatos a Deo per baptismum, & impium nihil contra præcepta Dei admittere.* At pios esse qui pietatem non colant, nec colere possint, inconveniens est: sanctificari eos aquæ baptismo a Deo, falsum: cùm Deus vel per Christi verbum vel per spiritum suum duntaxat homines pios sanctificet. Postremò ii, qui legem Dei nullam habent positam ullo modo; non possunt dici etiam legem Dei aut præcepta Dei violare. Reliqua quæ subjicit ex iis, quæ scripsimus, concidunt.

Pietas, qua in re consistat.

Qui sint pii.

Ioan: 17. 17.

Rom: 5. 13.

Qui legis transgressores censendi.

Scribit porrò *rebus externis ita confidendum non esse, si sint prophanæ: at si res externæ sint, in quibus aliquid momenti Deus esse voluit ad salutem, iis tantum confidendum est, quantum Deus inesse in iis ad salutem voluit.* At quis tam stultus est, qui res prophanas ad religionem pertinere putet, nedum illis confidat? Reliqua quæ scribit, admitti possent. Sed tutius est eadem explicatè proponere: ut res externæ, si quæ a Deo præceptæ sint, non negligantur, nec tamen iis confidatur, verùm pietati semper incumbendum esse omnes intelligant: cùm ut Apostolus ait: Exercitatio corporis parum sit utilis (licet religiosa) at

Res prophanas ad religionem nullo modo pertinere.

1. Tim: 4. 8.

pietas

pietas ad omnia utilis est, habens promissionem & hujus, & futuræ vitæ. Quæ hic de sacramentorum vi, toties repetita regerit, superiùs toties discussa sunt. Rescribit & ait me scribere parvulos renasci non posse, cùm non sint corrupti &c. & ait, *hoc ipsum telum esse quo e scripturis iugulentur Ariani.* Benè sanè, modò id telis scripturæ fiat. Ait igitur *scripturam docere, in infantes peccatum Adæ pertransisse, etiamsi non peccarint, in similitudine transgressionis Adæ, id vero testimonio* Rom: 5. 12. probat, quod sic citat: *Per unum enim hominem peccatum introivit in mundum, quia in uno homine omnes peccaverunt, sicut & gratia Dei in gratia unius hominis Iesu Christi in omnes abundavit.* At testimonium apud Paulum Rom: 5. 12. aliter extat, quam a Smiglecio citatur: Sic enim habet: *Propter hoc sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ergo Smiglecius truncavit Pauli testimonium, dum illa omisit (per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit) & corrupit; quatenus ea addidit, quæ in textu non leguntur (quia in uno homine omnes peccaverunt,) tum e versu 15. verba quædam excepta, versui duodecimo, quem citavit, apposuit; nec tamen ea fide, qua sunt tractandæ divinæ literæ. Pro particulis enim (multo magis) particulam (sicut &) reposuit, sicut & gratia Dei omisit, (& donum) in gratia unius hominis Iesu Christi, in omnes homines abundavit. Siccine Theologiæ Doctori, quem titulum Smiglecius usurpat, divinæ literæ sunt tractandæ? Sed videamus, quid ex hoc testimonio inferat. *Sicut peccatum omnes*, inquit, *ab Adamo tunc contrahunt, cum ex ipso oriuntur & generantur, ita & gratiam Dei & donum in gratia unius hominis Iesu Christi, omnes accipiunt, cum ex eo spiritualiter regenerantur.* At hæc est concio Smiglecii, non ex citato testimonio legitima illatio. Hoc enim probandum fuerat Smiglecio, peccatum ex Adamo, nascendo contrahere posteros, aut infantes ob peccatum Adæ peccato corruptos nasci, aut infectos peccato originali. Hoc, inquam, probandum fuerat, non verò simplici narratione populo credulo obtrudendâ, res fuit transigenda. Et ita magnificè, ut putat, pro sua Doctorali authoritate proposita, non approbata sua sententia, ad nostra oppugnanda accedit.

Smiglecius loco Pauli corrupit.

Smiglecius probationis loco, sententiam suam reponit.

Ait igitur, *Scio Arianos in sua Catechesi tam illustre Pauli testimonium Grammatica eludere velle. Aiunt enim in græco verba illa* ἐφ ᾧ (apud Paulum sunt ἐφ' ᾧ) *non minus verti posse in quo, quàm, quoniam, vel quatenus, vel eò quòd omnes peccaverunt:* & respondet: *Quasi verò ex sola Grammatica vim faciamus (pro qua tamen habemus omnes Patres &*

tres & græcos & Latinos) & non potiùs in reipsa. hæc ille. At si Pauli tam illustre testimonium est, pro peccato originali, cur verbis Pauli inseruit Smiglecius ea quæ in textu non habentur? De Patribus Græcis & Latinis glorietur sanè, non tamen propterea vis verborum Pauli, non erit eadem, quæ oratione Pauli expressa habetur. Sed reipsa jam nos vult aggredi. Attendamus igitur. *Si legamus*, inquit, *per peccatum in omnes homines mortem pertransivisse, quoniam omnes peccaverunt, sequitur quoque infantes peccasse, quandoquidem in eos mors pertransiit, & ideò pertransiit, quia peccaverunt. At infantes non peccaverunt actu & voluntate propria: ergo necessario sequitur, actu Adami, in quo tunc continebantur, peccasse & ex eo peccatum nascendo contraxisse.* hæc ille. In his Smiglecii verbis duæ rationes involutæ sunt, quibus infantes peccasse probat, id verò in Adamo. Prior est, legimus in omnes, mortem pertransiisse. Ergo omnes peccaverunt. Nego id consequi. Nam ex mortis in omnes transmissione, non rectè colligi omnes peccasse verba Pauli ostendunt: *Regnavit* (inquit Paulus) *mors etiam in eos qui non peccaverunt* &c. Altera ratio est: Peccaverunt omnes. Ergo & infantes, nego consequi. Cùm enim locum ad eos restringi, qui sub id genus cadunt, eadem superiora verba Pauli docent; Ac proinde etiam illud alterum argumentum, quod huic basi superstruxit, infantes peccasse, excussum sibi e manibus animadvertit.

Sed nectit aliam rationem: *Deinde*, inquit, *quod aliter Adami (qui est forma futuri) & Christi comparatio minime constat, quæ in eo tota est, quod sicut ex unius Christi gratia, & justitia in omnes homines gratia & justitia abundavit, ita ex unius hominis peccato in omnes homines peccatum pertransiit.* At optimè constat inter Christum & Adamum comparatio, si e verbis Apostoli instituatur; quam non e verbis Apostoli extructam a Smiglecio, hinc constat, quòd partes comparationis nõ ita, quemadmodum Apostolus, opponat. Etenim dum opponit justitiam Christi, Adæ delicto, in eo Apostoli verba sequitur: at dum fructum delicti scribit in omnes homines peccati trãsmissionem, in eo a verbis Pauli recedit, qui fructum delicti mortem ostendit, non peccati propagationem; cui Christi justitiæ fructum, nempe a morte illa æterna liberationem, opponit. Illius verò Adæ lapsus esse fructum, peccati in posteros transmissionem, quæ vestigia in hac comparatione? quæ apud sacros scriptores documenta? Quinetiam ipse Smiglecius vi veritatis adactus, hanc oppositionem inferiùs subjicit, dum ait: *Sicut per unius peccatum mors in omnes homines dimanavit, ita per unius Christi justitiam, vita in omnes homines profluxit:* quam eandem &

Apostoli quæ sit oppositio.

dem & Pauli verbis approbat & fusius persequitur. Ergo hanc oppositionem legitimam agnoscat. Quod verò, quasi sui oblitus rursus ex morte colligit, omnes peccasse, paulò ante refutatum est.

Quærere deinde incipit, *quomodo per unum hominem introivit peccatum in mundum? An quia primum peccatum in mundo fuit illius? At ante primum hominem peccaverunt dæmones, ac per eos peccatum invectum est in mundum.* hæc ille. At istæ quæstiones cui bono? Apostolus testatur per unum hominem peccatum in mundum intravisse. Ergo hoc verissimum est. Diaboli instantia, Apostolicæ doctrinæ nō incommodabit. Nec enim, etiamsi homine Diabolus prior peccavit, idcirco peccatum in mundum invexit, cùm in cælo Diabolus peccârit, qui locus extra mundum hunc aspectabilem censetur. Rursus quærit Smiglecius, *an quia peccatum Adami omnes imitantur? At dæmonis potius imitantur homines quàm Adami*, respondet. At quomodo potiùs imitantur peccatum Diaboli, de cujus peccato loquuntur quidem sacræ literç, at quale fuerit, parcissimè perstringunt: at Adæ peccati naturam, quæ fuit divinæ legis, quæ Adamo posita fuerat, transgressio, apertè explicant. Et tamen etiamsi potiùs Diaboli, quàm Adæ peccatum imitarentur, quid inde? Eos non imitari prorsus peccatum Adæ? Imò quoties Dei legem sibi latam transgrediuntur, toties eos etiam Adami lapsum imitari certum est: & particula, *potiùs*, a Smiglecio adhibita, eosdem Adami peccatum quoque imitari innuit, utut etiam Diaboli imitentur.

Redit denuò ad mortem, & ex ea colligit peccatum originis, sed quàm imperitè, paulò ante ostendimus. *Porrò non minus indicat*, ait, *Paulus peccatum originale, Ephes: 2. 3. cùm ait: Eramus, inquit, naturâ filii iræ.* & infert, *naturâ, inquit, non consuetudine, nec imitatione, sed conditione & vitio naturæ, in qua nascimur, nascimur filii iræ, quia in peccato nascimur*, &c. At explicare locum, non est ex loco argumentari. Eramus filii iræ, ait Paulus. Ergo, infero ego, non nascimur. Quod quò melius appareat, locus e Paulo proferendus est, quem D. Doctor, uti priorem, truncavit. Sic igitur Paulus loco citato: *In quibus*, (peccatis intellige, de quibus versu superiore) *& nos omnes conversati sumus aliquando, in cupiditatibus carnis nostræ, facientes voluntates carnis & cogitationum, & eramus filii iræ, quemadmodum cæteri* (gentes intellige de quibus scribit.) Ergo ex integro testimonio Pauli liquet, quemadmodum sint hæc verba accipienda, nempe, quòd erant naturâ filii iræ Iudæi, quemadmodum cæteri Gentiles, id verò tùm, cùm in peccatis conversati sunt aliquando, cupiditatum carnis & cogitationum

stimulis circumacti. Non igitur tunc, cum generatione in lucem hãc editi fuerant.

Affert aliam rationem: *Opponit naturam, gratiæ.* At ex toto contextu apparet, vitam illorum præsentem, opponi anteactæ, ac utriusque statum. Non igitur hîc vox (naturâ) opponi potest gratiæ: verùm illius significatio ex toto contextu petenda est. nempe, quod verè seu reipsa erant filii iræ, cùm ita viverent. *At hoc tanquam violentum explodendum*, ait: At quomodo violentum id est, quod ipsa oratio tàm antecedens quàm subsequens, subministrat? Illud omninò violentum est, quod nec antecedenti nec subsequenti orationi, imò nec annexæ voci respondet. Paulus loquitur, eramus, hoc explicat Smiglecius, nascimur. Annon hęc merè violenta est explicatio? maximè si ad superiora & inferiora proximè sequentia oculos retuleris. Vnde apparet, illationem Smiglecii de infantibus per peccatum corruptis, nullam prorsus esse. Sed prolixam concionem instituit Smiglecius, cur incredibile videri non debeat, homines in peccato nasci. Ostendit enim, peccatum non solùm actu patrari, verùm etiam habituale esse. At neq; hoc peccatum, quod actu patretur, neq; quod habituale sit, demonstrat, homines in peccatis nasci, non debere incredibile videri. Ergo hęc Smiglecii concio rem quam volebat demonstrare, involvit, non demonstrat. Ita quę hîc de vita animę & morte ejusdem differit, eandem quęstionem non approbant. Quid enim, cùm vivit anima, cum ea quęstione habet commune, an debeat incredibile non videri, homines in peccato nasci? Quo igitur fine hęc allata sunt?

Quod antecedentia & subsequentia arguant, violentum non esse, sed contra.

Scribit, parvulos gratiam divinam, in Adamo amisisse. At qua ratione, cùm nondum extiterint? Deinde, num is, qui servo patre nascitur servus, amittit libertatem? Nullo modo. Pater quidem delicto suo fieri e libero servus potuit. At filius, dum e Patre servo nascitur servus, nullo suo delicto, sed naturâ & conditione fit servus.

Infantes filios iręnon nasci.

At scribit me falsò scripsisse, Deum non puniturum infantes tanquam noxios &c. & respondet, cùm secundùm scripturas infantes nascantur filii iręcertè consequens est, nasci filios punitionis &c. At antecedens non probavit Smiglecius ullo testimonio scripturę evidenti, nec probabit, in quo aut extet, aut necessariò ex eo colligatur. Infantes nasci filios iræ, nec illud secundùm scripturas unquam affirmari potest, nedum debet, ut ait Smiglecius. Quare nunquam docebit, me falsò scripsisse, quæ scripsi. Ea quæ scribit de regeneratione, quæ sit adultorum propria, & infantum regeneratione, sunt repetitio superiorum ad fastidium iterata.

Pergit: *Addit*, inquit, *Moscorovius, Baptismum non nisi a volente & prudente suscipi posse*,& addit Smiglecius, *immò non nisi a credente*. Sed excipit: *Id quidem adultorum esse: at infantum aliam esse rationem, his enim per alienam fidem & opem baptismum conferendum esse, & sicut* inquit, *aliena voluntate peccaverunt, ita aliena fide & ad baptismum pervenire & salvari possunt*. hæc ille. Multa hîc verba profudit, sed succus omnium in his comprehensus est. At hæc, narratio sunt placitorum Smiglecii, & illius Ecclesiæ, non refutatio superioris rationis. Ego vero insto, Baptismus est actus voluntarius. Ergo ad eum nõ pertinet, qui voluntatis usu caret, quales esse infantes, res ipsa indicat. Hoc igitur solvat re & veritate, si possit, Smiglecius, si solvere non possit, veritati cedat. Placita ipsius & Ecclesiæ pontificiæ, rerum naturam non immutabunt.

Caput VIII. sic inscribit:

Arianos cum omnem Baptismi rationem evertant, Christianum nomen non mereri.

Malè, inquit, *habet Moscorovium, quod in Appẽdice scripserim, Arianos pro Christianis habendos non esse, quod baptismum, quo Christiani efficimur, non admittant, ejusque omnem prorsus rationem tollant*. At si me malè haberet convitium, pro nomine Domini mei Iesu Christi, in nos a Smiglecio & similibus conjectum, Christi Domini mei me discipulum esse, ægrè mihi esset, quippe qui mihi prædixerit, hanc ipsius discipulorum conditionem futuram fuisse. Christi discipulorum in mundo fortuna.

Quæ tamen hîc in nos confert, non verè confert Smiglecius. Nam aquæ baptismum admittimus, & illius rationem Apostolis usurpatam, usurpandam existimamus. Porrò, aquæ Baptismo nos effici Christianos, nunquam verè docebit Smiglecius. At Smiglecius errorem hunc, ut vocat, coarguere Acta Apostolica ait, in quibus c. 2. 41. sic habetur. Qui ergò receperunt sermonem ejus, baptisati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia, & infert: *Quid enim est per baptismum apponi, nisi ad numerum Christianorum adjungi & fieri Christianum?* At Smigleci, Acta Apostolica, loco abs te citato, eos, qui sermonem recepissent, baptisatos simpliciter narrant; aquæ baptismo nos effici, aut illos Christianos factos nusquam ostendunt. Nam hîc non legitur per baptismum appositas animas, quod in sua illatione ausus est ponere Smiglecius, sed id legitur, *qui ergo libenter acceperunt sermonem, baptisati sunt, & appositæ sunt die illa, animæ circiter*

citer tria millia. Vnde ex serie narrationis & nominis (appositæ) relatione, perspicuum est, Lucam, nomen (appositæ) ad numeri quam exprimit summam & tempus referre, & quanta tum facta esset accessio, ad illum fidelium cætum recensere. Quid igitur vocem, *appositæ*, ad baptismum solum detorquet Smiglecius, & ex unius vocis detorsione, dogma illud suum, Baptismum aquæ efficere Christianos, extruere molitur. Verùm etiamsi Smiglecio daretur, in nomine *appositæ* modum, quo illi Christiani facti sint, contineri, num propterea efficeretur Baptismo aquæ illos factos Christianos? Minimè vero: Nam eos, qui libenter recepissent sermonem, baptisatos narrat Lucas. Ergò cum ii, qui baptisati fuerunt, sermonem recepisse legantur, ad solum aquæ baptismum, nulla vi hoc restringere potest Smiglecius. Imò cùm testatissimum sit, permansione in Iesu Christi sermone discipulos Christi, ac proinde Christianos effici; quemadmodum servator ait: *si manseritis in sermone meo*, verè *discipuli mei eritis*: apparet vi sermonis Christi fide excepta & conservata, effici Christianos. Nō igitur vi aquæ baptismi. At pergit Smiglecius: *Etenim isti, etiamsi ante baptismum fidem haberent, non tamen dicuntur appositi, nisi postquam baptismo etiam sunt fidem professi*. At Lucas quid actum sit ordine narrat. Ex qua narratione quid colligi possit, ostensum est; & demonstratū, hinc non posse doceri aquæ baptismi vi illos factos Christianos, multo verò minus alios omnes effici Christianos. Quæ hîc de aquæ baptismo scribit, eum esse proprium Symbolum, professionis Christi, a Christo institutum, & qui illud non admitterent, aut temerè nō usurparent, Christianos non esse, etsi nos non petunt, qui aquæ baptismum & admittimus & usurpamus, tamen quia falsa sunt, coarguenda sunt. Nam etsi per aquæ baptismum, nos profiteri Christi nomen, non dubium est: tamen non est ita astricta professio hæc, aquæ baptismo, ut non tota vita nostra citra aquæ baptismum, illud perpetuò facere teneamur. Deinde aquæ baptismum, a Christo institutum, hoc esset docendum Smiglecio. Spiritu Dominus Iesus baptisabat, baptisat, & baptismum Spiritus, non aquæ idem ille instituit. Aquæ baptismus, munere Domini Iesu, res erat longè inferior. Quæ hîc scribit, *per baptismum tantùm aquæ, ad cætum Christianorum homines admitti*, istæ sunt assertiones nudæ sæpius a Smiglecio inculcatæ. *In Christo Iesu* negat quicquam valere Apostolus, nisi fidem per charitatem efficacem. Ergo qui hac fide præditus est, Christi membrum est, & regni cælestis heres: qua ratione igitur non erit unus e fidelium cætu, etiamsi mundum universum ea in re adversantem sibi habeat?

Qua ratione homines Christiani fiant. Ioan: 8. 31.

Totam Christianorum vitam, esse Christi professionem.

Aquæ baptismus munere Domini Iesu longè inferior.

Gal. 5. 6.

Christiani hominis forma genuina.

beat? Exemplum veteris Ecclesiæ nunquam canonibus Apostolicis præscribet, quibus, quæcunque tandem Ecclesiæ fuerint, subesse tamen omni jure tenebantur, atque etiam num tenentur, cùm Apostoli sint ecclesiæ fundamentum, & supremi fundamenti Christus magister. At affert ex Apostolo testimonium, in quo Apostolus ait. Quicunque, inquit, baptisati estis, Christum induistis, & sic argumentatur: *Etenim si baptismus efficit ut Christum induamus, quomodo non efficit ut Christiani jure nominemur & simus?* At nec Apostolus dicit aquæ baptismo effici, ut Christum induamus, sed eos, quicunque baptisati essent, Christum induisse, id est professos esse, quòd Christum induerint; & cùm Smiglecius ipse fateatur, ante aquæ baptismum posse Christnm indui, agnoscat idem aquæ baptismum non efficere, ut Christum induamas. Sed idem, ait ea de re, nempe nos Christum induisse, Ecclesiæ constare non posse, nisi per baptismum: at per confessionem oris & vitæ longè certius constare potest. Sed ait hoc non esse satis Christum induisse, sed per baptismum induisse. At per baptismum aquæ induere nos Christum hoc ipsum probandum est, quemadmodum Christus unus est, ita illius induendi ratio unica supereſt, quæ cùm fatente Smiglecio detur ante aquæ baptismum, per aquæ ergo baptismum nullo modo contingit. Quomodo autem non sit satis Ecclesiæ, Christum induere, cum illud ad salutem consequendam sit satis?

Ecclesiam canonib: Apostolicis, literis divinis comprehensis, subesse omni jure teneri.

Pergit: *qui verò baptismo non credunt, ejusque essentiam & dignitatem & fructum abnegant, quales sunt Ariani, ii Christum induere, nec in baptismo nec extra baptismum possunt.* At Dominus Doctor disputator est. Ergo rem disputando, non sententiis ferendis transigat. Et tamen inspiciamus, si placet, hujus decreti vim: primùm quæro baptismo credere, quid sit? & quæ divina testimonia illud mandent? Deinde aquæ baptismi essentiam & dignitatem nos abnegare, quî subsistet? cùm eum ab hominum commentis, quibus fœdatus est, vindicemus? Sententiæ porrò vis, quod ii, quos ille Arianos vocet, Christum induere nullo modo possint, unde? Dominus Doctor optimè novit ista fulmina pro brutis a nobis haberi. Ergo aliis armis nobiscum decertet.

Pergit, *denique inauditum est ab Ecclesia pro Christiano unquam habitum qui baptismo tinctus non esset.* Atqui apertissimè testatur Ioannes Apostolus Domini, eum qui credat Iesum esse Christum, ex Deo natum esse, ergo ubicunque audita fuit divina hæc Apostoli veritas, semper id auditum fuit, eum ex Deo natum, ac proinde verum & legiti-

1. Ioan. 5. 1.

gitimum Christianum esse, qui Iesum esse Christum credidisset.

Legibus non exemplis vivere in Ecclesia oportet.

Catechumenos quod hîc iterum objicit, noverit legibus non exemplis in repub: vivendum esse, quantò magis in Christi divina republicâ, cui sanctissimæ eæque æternæ & immutabiles præscriptæ leges sunt. Respondet ad Constantini exemplum a me allatum, qui pro Christiano principe habitus fuisset, etiamsi aquæ baptismum in extremum vitæ finem distulisset, uti Ecclesiastici scriptores testarentur, in quibus Eusebium, Socratem & Theodoretum lib: & cap: notatis produxeram: me mendacis Eusebii historiæ, a quo plerique inducti errorem eundem hausissent, fidem habere maluisse, quam cæterornm scriptorum, atque adeo totius orbis testimonio. At Eusebius, quæ de Constantini vita scripsit, oculatus omnium testis extitit. Vnius verò oculati testis fides potior est, quàm multorum aliorum qui rem ab aliis accepêre. Cæteri cùm eum proximè subsecuti fuerint, sine dubio rem hanc notissimam habere potuêre.

At me premit Baronii auctoritate, *quem scribit mendacium Eusebii detexisse, Constantinum a Sylvestro baptisatum esse, eundem ex historicis tam gentilibus quam Ecclesiasticis convicisse, tum Actis Concilii Romani, ipsa Constantini oratione in Concilio Nicæno habita, Actis Sylvestri. denique ex occasione baptismi quæ erat curatio lepræ, & tot extructionibus templorum, fundationibus ab ipso factis* &c. At certè Eusebio rerum a Constantino gestarum historia notior fuit, qui illius tempore vixit, quàm Iesuitæ Baronio, nostri temporis historico. Tum quinàm illi historici, e quibus mendacium Eusebii detexit Baronius? Acta Concilii Romani & Acta Sylvestri, vereor ut sint satis idonea, ejus rei testimonia. Etenim hîc illud Cassianum attendendum est: Cui bono? Eusebio cur historiam aliter quam res esset, scriberet, causa nulla erat, nisi ut a sui temporis, aut certè subsequentis ætatis hominibus mendax passim proclamaretur. At Actis & Sylvestri, & Romanis, & Iesuitæ Baronio, multiplices causæ extiterunt, & existunt, cur hæc de Constantino asserant, nimirum ut illas donationes, quas Ecclesiæ Romanæ a Constantino factas ajunt, contra quam opinionem multi semper insurgebant, astruerent, & aliquo colore incrustarent. Nam in oratione in Nicæno concilio habita, nihil tale, quod Smiglecius scribit prisci historici extitisse annotarunt: Tum verò Eusebius, summus & admirator & laudator Constantini: qua ratione istam lepræ curatæ occasionem reticuisset? Extructiones etiam templorum, & fundationes, illius magnificientiæ, argumentum fortasse fuerit, non certè susceptæ ab eo baptismi, aut illius ad vitæ finem non dilati. Verùm eo,

Cur Eusebio in historia ætatis suæ scripta, fides habenda sit.

quo mq

quo me tueor, sententiam meam everti ostendit Smiglecius. *Nec enim Constantinus ad Synodum Nicænam neque ad alia mysteria admissus fuisset, nisi baptismo fuisset lustratus. Nefas enim hoc grande fuisset*, ait Smiglecius. Quæ audio: Imperator Constantinus, qui Nicænam Synodum auctoritate sua coëgit, & jussu convocavit, a Concilio, ab iis, qui jussu illius convenerant, arceri potuit? Aut is, qui Christianam religionem, parta illi pace post illam persecutionem tam diuturnam, asseruerat, ab ulla parte religionis excludi? Ac si hoc nefas fuisset, non illud excusassent illius admiratores, qui baptismum aquæ ab illo in vitæ finem dilatum tradidere? Et hæc illa sunt, quæ sententiam meam scilicet evertunt?

Scribit deinde: *Negat secundo Moscorovius, se suosque baptismi rationem omnem evertere*, & ait; *verùm jam convictus est.* Quæro, qua ratione? *Quod formam*, inquit, *baptismi negem. cùm in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. conferendum esse negem, contra expressam Christi institutionem, & universæ Ecclesiæ ad hæc usque tempora usum.* At aquæ baptismum in nomine Iesu Christi, aut Domini, conferebant Apostoli, nunquam autem in nomine Patris, Filii & Spiritus S. quemadmodum acta Apostolica tot locis testantur. Ergo evidenter doceo, & aquæ baptismi formam esse, ut in nomine Iesu Christi conferatur. & baptismum in nomine Patris, filii, & spiritus sancti non esse aquæ baptismum. Alioquin si hæc fuisset baptismi aquæ forma, semper fuisset in aquæ baptismo Apostolis usurpata, ut ante docui. Viderit igitur D. Doctor, quo candore a me negari formam baptismi, contra expressam Christi institutionem scribat. Nam Ecclesiæ cujuscunque usus, nihil contra Apostolorum institutum valere potest.

Smiglecii criminationes diluuntur.

Deinde scribit: *Materiam*, inquit, *baptismo subtrahit, cùm pro aqua alium liquorem substitui posse nullum inconveniens reputet.* At cùm alium liquorem, ubi nulla sit aquæ copia, etiam substitui posse existimem, materiam baptismi adaugeo, non ullo modo subtraho. Tertiò scribit: *Efficacitatem baptismi tollit, cùm nec ad remissionem peccatorum, nec ad salutem valere scribit.* At cùm quod proprium est aquæ baptismi, admittam, uti ex superioribus perspicuum est; nullam efficaciam aquæ baptismo me subtrahere, nimis est evidens. At inferiùs, paulò idem, quod sæpe ipse confessus est, extenuat; & dum Ioannis baptismum, & Christi professionem habuisse scribit; probandum hoc illi non nudè asserendum fuit. Nam Ioannem testatum fuisse de Christo, & illius spirituali baptismo legimus; at in Christi venturi nomen baptisasse quenquam, nusquam scriptum in divinis literis extat.

Quar-

Quarto scribit: *me necessitatem baptismi tollere, dum infantes baptisandos nego.* At cùm illi ob ætatem non sint capaces baptismi, usu rationis, & voluntatis destituti, non necessitas hîc baptismi tollitur, sed ejus usus, contra abusum propugnatur.

Pergit, & ait: *Frivolam esse excusationem, me totum aquæ baptismo tribuere, quod scriptura illi tribueret. Se enim docere non solùm professionem Christi baptismo contineri, sed & totius Trinitatis, & præterea invocationem, & quidem ad remissionem peccatorum* &c. At si Smiglecius agnoscit aquæ baptismo, professionem Christi contineri, cur frivolam illam excusationem vocat? ea verò, quæ de baptismo aquæ hîc regerit, superiùs refutata sunt, quemadmodum & eadem quæ paragrapho sequente sæpe dicta repetit.

Smiglecius quæ admittit, frivola vocat.

Infert deinde: *Ex quo*, inquit, *patet, Arianos cùm baptismum Christianorum, quo ipsi in cætum Christianorum admittuntur, negent, qui est baptismus aquæ in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, eo ipso nomen Christianorum negare, & tali nomini renunciare.* At nos, quos ille Arianos vocat, baptismum aquæ ab Apostolis usurpatum negare, vanissimum est. Deinde non minùs vanum, ad cætum Christianorum aquæ baptismo admitti, cùm hoc fidei opus sit; tum aquæ baptismum esse illum, qui in nomine Patris Filii, & spiritus S. conferatur, prorsus falsum esse ostendimus, ut pigeat toties eadem repetere. Sed quid huic scriptori facias, qui repetendis iisdem perpetuò tanquam eadem chorda oberret?

Tautologiæ Smiglecii.

Sed nostra petit: *Nec verò eo tueri se possunt, se in aquæ baptismo Christum profiteri. Nam ipsorum professio*, inquit, *Christi nomen non adstruit, sed evertit. Quid enim est Christum, non verum Deum, nec naturalem filium Dei profiteri? quàm Christum negare esse Christum & novum Christum confingere? Negare enim essentiam rei, est rem negare etiam. Cùm igitur Ariani divinam Christi essentiam negent, Christum negare existimandi sunt.* hæc ille. At Christum profiteri, & Christum negare contradictoria sunt. Nos igitur cùm palam nos Christum profiteri testemur; fieri per naturam nullo modo potest, ut eum negare censeri possimus.

Christum profiteri ac eundē negare contradictoria prorsus esse.

At ait: Nostram professionem Christi nomen evertere, quod eum Deum verum, & verum naturalem Dei filium negemus. At falsum est, eum Christi nomen evertere, qui illud secundùm Apostolicam doctrinam profiteatur, Iesum a Iudæis crucifixum, factum a Deo Christum, & Dominum, ut divus Pet: Act: 2. 36. clarissimè docet. Ergo, qui hac ratione Christum profitemur, Christi nomen stabilimus, non evertimus. Præterea Christum, verum Deum fatemur. Etenim di-

Iesum & Christū, & Deum verum,

nim divinitate vera a patre donatus est. Verum & naturalem Dei Filium agnoscimus. Nam & ortus, & conceptionis suæ, Deum tantùm authorem, patrem nempè habuisse confitemur. & Dei naturalem filium authorem profiteri.

At instat: *Nos essentiam Christi negare divinam, & propterea Christum ipsum negare.* At Christum divinam essentiã habere, nunquam e divinis literis docebit Smiglecius. Quare si ea Christo attribuamus, quæ divinæ literæ attribuunt, negemus porrò, quod homines illi per errorem adscribunt, non Christum negare, sed hominum cõmenta, circa ejus essentiam, censendi sumus rejicere.

Quæ hîc de Constantini & Athanasii factis recenset, quorum facta non esse divini juris canones scripseramus, ad ea paulò inferius uberiùs respondebimus, ne toties eadem illius more repetamus. At pergit, & mea recitat: Si adversarius fateatur, nos Christum confictum pro vero obtrudere, Christum nos confiteri certum est, ut ut in confessione illius essentiæ errare nos putet. Error enim circa essentiam rei, tantum abest ut essentiam rei tollat, ut etiam præsupponat. *At quàm absurdè excipit; Quis enim ignorat, qui fictum Christum confiteatur, absolutè Christum non confiteri, sed potius negare?* At Christum absolutè negare, qui Christum profiteatur, hoc implicat contradictionem. Nam qui absolutè negat, prorsus non confitetur; qui confitetur, etiamsi gravissimè in confessione erret, simpliciter negare dici non potest.

Sed in voce *ficti*, hîc Smigleci⁹ triumphat, quam ego communiore vocis significatione usurpavi, quando videlicet rei existenti, aliquid aut affingi solet quod non habeat, aut etiam opinione detrahi; non verò, quatenus pro non ente usurpari potest, quemadmodum e subjecta ratione; Error circa essentiam rei rem præsupponit, non tollit, ipse animadvertere potuit. At me etiam hæc non intelligere asserit, quæ scripsi. *Errare enim, ait, circa essentiam dupliciter contigit, aut negando ea quæ ad essentiam spectant, aut ea tribuendo, quæ rei illius essentiam evertunt. Utrovis modo errare circa essentiam, nihil aliud est, quàm tollere essentiam. Tollere autem proculdubio, non est supponere, cùm ista sint opposita.* At nego, ad essentiam rei spectantibus quibusdam negatis, essentiam rei prorsus tolli. De rebus naturalibus multæ sunt hominum doctissimorum discrepantes sententiæ, quemadmodum & philosophorum, & medicorum celeberrimorum scripta testantur: in quibus multa ad essentiam rei spectantia negari, multa etiam, quæ possint rei alicujus essentiam evertere, eos ponere, quivis animadvertet, qui illorum scripta paulò diligentius versaverit. Num tamen Errore circa essentiam rei illius essentiam nõ tolli.

ii res naturales, propterea tollunt? Minimè gentium, cum pro iis decertent, & digladientur. Ne longiùs abieris: Num in Theologicis etiam Aquinati cum Scoto, per omnia, in omnibus convenit? Ergo, cùm alterutrum ad essentiam rei controversæ spectantia, negare oporteat, rem propterea tollere erit censendus? Certè si id faciendum esset, de certis religionis vestræ capitibus actum foret. Quid? Nonné patres quidam de essentia Filii Dei dissensêre, negantes ea, quæ ad essentiam illius vos pertinere putatis, quemadmodum de Tertulliano, Iræneo, Ignatio, Iustino, Origene multis in locis docuimus? Ergò essentiam Filii Dei negaverunt, pro quo etiam vitam profundere non dubitârunt? Quamobrem D. Doctor, necdum ostendit, modis a se descriptis essentiam tolli; ac proinde neque me convicit, me non intellexisse quæ scripserim. Debuit tamen pro sua sapientia id demonstrare, ab errante non præsupponi rei essentiam, circa quam erret, & non entis aliqua accidentia dari.

Smiglecius impetum declinat.

Pergit: *Quocirca cùm succlamat Moscorovius, se suosque ore, scriptis, studiis, coram universo orbe Christum profiteri, ea ipsorum professio, est ipsissima Christi abnegatio, & ficti Christi pro vero substitutio, indeque etiam fit, ut quantò plus a se confictum Christum confitentur, tantò minus in Christum credant.* hæc ille. At unde hæc decreta? Num professio Christi erit abnegatio ulla, nedum ipsissima? Num eadem non erit fidei argumentum? Iteret hæc, quantum velit, D. Doctor, veri naturam, suis asseverationibus nunquam mutabit.

Scribit amplius: Ait *præterea Moscorovius, se circa essentiam Christi non errare, etiamsi divinam ejus naturam neget; cum essentia Christi, munus sit ei a Patre collatum*, & respondet. At *fallitur vehementer. Nam a se demonstratum in erroribus Arianorum, Christum divinâ & humanâ naturâ præditum, ab Apostolis prædicatum, & a toto mundo creditum, & fidem de duplici Christi natura in orbem Christianum induxisse, quòd nullus assignari poterit, qui id fecerit.* hæc ille. At primùm ea, quibus Christum divinâ & humanâ naturâ constare, in erroribus Arianorum docuisse se scribit, a Smalcio prorsus eversa & prostrata sunt. Nec verò e scriptis Apostolicis Christum divinâ, & humanâ naturâ constare, solidè unquam docebit, cùm illæ apertissimè testentur, Iesum a Iudæis crucifixum, factum a Deo Dominum & Christum. Vnde necessariò efficitur, Christum unam naturam habere, quæ est humana. Præterea, e divinis testimoniis innumeris, manifestissimum est, Christum naturâ esse hominem. Ergò ut naturâ Deus sit, prorsus est impossibile. Nam Deus nec principium nec finem habet na-

Christi una natura constare.

bet naturâ; at verò homo & principium & finem, naturâ habet, ut alia innumera, quibus dissident, præteream: Tùm homo persona, & Deus persona, quî coirent in unum suppositum? Rem igitur adeò impossibilem, quî scriptores divini, veritatis divinæ magistri, orbi tradidissent? Et cùm is error tùm obrepserit, cùm homines simplicitate divinarum literarum posthabita, vanissimis speculationibus indulgere cœpissent, scilicet in Apostolos, veritatis divinę magistros conferendus est, qui eum scriptis occasione toties occurrente, nusquam expressêre.

Addit, *errorem hunc, quo Christi divina natura negabatur, in Ebione & Cerintho Apostolorum temporibus, & pro hæresi agnitum, & a D. Ioanne triplici decreto condemnatum esse, uti in libro citato, a se probatum ait,* & infert, *negari non posse, divinam naturam ad Christi essentiam pertinere.* At Apostolorum temporibus, ne somniârunt quidem homines, de divina Christi natura. Quî igitur erroris loco, tum haberetur, eam negasse? Et quod de Cerintho, & Ebione hîc narrat, meras esse nugas, in nostro contra Gurseium Libro, apertissimè docuimus. Triplici verò sententia damnatũ a D. Ioanne esse istum errorem, probatum a se, quod scribit Smiglecius, fallitur vehementer, quemadmodum abundè a Smalcio in responsione ad eundem librum demonstratum est. Et qua ratione D. Ioannes divinam Christi naturam assereret, qui ad eum modum apertissimè scribat? *In hoc,* inquit, *cognoscitur spiritus Dei, omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christũ, qui in carne venit, ex Deo natus est, & omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum, qui in carne venit, ex Deo non est, & hic est Antichristi,* supple, *spiritus.* Item: *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Item: *quis est, qui vincit mundum, nisi credens, quoniam Iesus est Filius Dei? Hic est ille veniens per aquam, & sanguinem. Iesus ille Christus, non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.* En igitur habet Smiglecius, decreta D. Ioannis, expressissimis verbis concepta, quòd Iesus ille, Christus sit, qui in carne venit; quòd, qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus sit; quòd Iesus Christus sit ille, qui per aquam, & sanguinem venerit. Et qui apertissimè Iesum illum Nazarenum, Christum illum Domini, quemadmodum alibi spiritus S. loquitur, esse testatur, idem scilicet divinâ naturâ & humanâ Christum constare non exposuisset, si res ita haberet? Sed Apostoli, divinæ istius naturæ Christi ignari, Iesum illum Nazarenum, esse Christum, semper adversus Iudæos docuerunt; adeò, ut apertissimè D. Paulus salutem huic confessioni adscribat, dum ait: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum &*

1. Ioan: 4. 2. 3.

5. 1. & 5. 6.

Luc: 2. 26. & 9. 20.

Apostolorum de Christo doctrina & confessio. Rom: 10. 9.

Act. 10. 36. *sum & credideris in corde tuo, quod Deus illum a mortuis suscitavit, salvus eris.* Dominum, inquam, quem D. Petrus Dominum omnium vocat, Christum, & regem omninm profiteri, & credere, quòd Deus eum suscitavit a mortuis, Apostolis Domini, salutaris confessio, salutaris fides est. Quid igitur ad Apostolos Domini, extra hanc confessionem & fidem, Smiglecius hominum commenta rejicit?

Scribit deinde: *Futilia verò sunt, & a nobis millies jam confutata, quæ contra divinam Christi naturam a Moscorovio afferuntur. Ex sacris, inquit, literis constat, Iesum à Iudæis crucifixum, à Deo factum Dominum, & Christum,* & respondet, *quasi verò eædem sacræ literæ non doceant, Iesum Christum secundùm carnem crucifixum fuisse, ita tamen, ut verus idem Deus fuerit.* & huc congerit testimonia divina, nihil ad rem facientia, ad quæ mox respondebimus, ubi prius responsionem illius examini subjecerimus. Respondet igitur Smiglecius, Iesum Christum esse secundùm carnem crucifixum, ita tamen, ut verus Deus fuerit. At ne tam superciliosè agat, D. Doctor, rogo. Vrget mea argumentatio Iesum crucifixum, esse Christum, eò quòd is, nec ullus alius, factus a Deo Christus sit. D. Doctor, dum secundùm carnem crucifixum respondet, ita tamen, ut verus Deus fuerit, ad argumentationem non respondet, sed quæstiones longè alias opponit, nempè, quòd Christus secundùm carnem crucifixus, Deus verus fuerit. Quasi verò argumentatio mea oppugnet, vel Christum non esse secundùm carnem crucifixum; aut illum verum Deum esse neget; & non hoc ostendat; quòd Iesus Nazarænus, sit Christus.

Respondet secundò, *Locum hunc, non ita crassè intelligendum, se docuisse, quasi tunc primùm cœperit esse Dominus, & Christus, quòd omnibus scripturis repugnat, sed quòd tunc reipsa dominium suum exercere, & omnibus imperare publicè cœperit, subjiciendo sibi omnia, à qua dominandi ratione totâ vitâ abstinuerit, non defectu potestatis, sed redemptionis nostræ causâ.* hæc ille. Ergo subtilitatis D. Doctoris caussâ, vis facienda est verbis Apostolicis? Apostolus ait: Iesus crucifixus, est a Deo factus Dominus, factus Christus: id ita secundùm D. Doctorem, scilicet, intelligendum est, Iesum crucifixum, non esse a Deo factum Dominum, & Christum. Cur verò, quia (ait ille) scripturis repugnat. At quibus rogo? Certè quod scripturæ manifestissimè uspiam asserunt, ei repugnare scripturas impossibile prorsus est. Deinde ex eo, quòd publicè tum Dominari omnibus cœperit, quod antea eum non fecisse ait Smiglecius, evidenter perspicuum est; a Deo illum tùm Dominum & Christum generalem reipsa factum, cui antea muneri decreto Dei

Scripturas apertissimè a se traditis, nusquã adversari.

to Dei immutabili destinatus fuerat. Nec verò quòd antea, omnib: publicè dominatus nõ sit, causa e divinis literis afferri potest, nisi quòd potestatem in cælo & in terra omnem necdum habuerit, quam sibi tùm datam, cùm resuscitatus a mortuis esset, ipse Servator fatetur, cujus amplitudinem ita describit Apostolus, ut omnia Deum subjecisse illius pedibus, excepto seipso, evidentissimè asserat. Ad eum itaque modum refutantur nostra, despicientiâ scilicet, & fastu, at non solidis rationibus.

Matth: 28. 18. 1. Cor: 15. 27.

Sed locos, quos citavit expendamus, quibus naturâ Deũ Christum vult demonstrare. Primum itaque Actor: 20. producit: Deus acquisivit Ecclesiam sanguine suo. Respondeo, sanguis hîc potest Dei patris sanguis dici, propter summam Filii & Patris conjunctionem; & quòd cum Filius, voluntate Patris fuderit; ut alias causas præteream. Ergo ex eo loco necessariò id non colligi, quod vult Smiglecius, perspicuum est.

2. 1. Cor: 2. Dominus gloriæ crucifixus. At intelligi potest eum, qui nunc est Dominus gloriæ, id est, glorioſus, crucifixum fuisse: Quemadmodũ de Serenissimo Rege quondam Polonorum Stephano, dici potest simili oratione: Regem Poloniæ Stephanum, captivum Cæsaris fuisse. Quod verissimè dicitur, at non tùm captivus Cæsaris fuerat, cùm Rex Poloniæ factus est. Deindè, etiamsi admittatur, etiam tùm, cùm in terris ageret, Christum fuisse Dominũ glorioſum, propter illam divinam potestatem, quâ illa mirabilia opera patrabat, in eo residentẽ, & propter illam divinam sapientiam, quæ in eo eminebat, tamen inde ipsum Deum naturâ fuisse concludi non potest. Istorum enim Deum ipsum Patrem, extitisse authorem, semper servator ipse confessus est. Ergò neque hinc quicquam necessariò colligi, e quo Deum naturâ Christum appareat, planum est.

3. Testim: Aspicient me in quem confixerunt. Vsitatissimâ sermonis figurâ potest accipi de Deo Patre, quòd ille confixus sit, cum Christus ipsius, & unigena ipsius Filius confixus fuerit, quemadmodum & servator ait: Paulum se persequutum fuisse, cùm illius fervos persequeretur. Qua igitur necessitate hinc consequetur, Christum esse naturâ Deum?

4. Testim: Eum qui in forma Dei fuit, æqualem Deo fuisse, humiliatum ait. At neque ex eo, quòd in forma Dei fuerit, nec ex eo, quòd æqualis Deo fuerit, nec quòd humiliatus, conficitur, Christum naturâ Deum esse; cùm nihil horum prorsus de eo, qui naturâ Deus sit, dici possit. In cujus enim Dei forma, ille qui naturâ Deus est, esse possit; aut

sit; aut cui Deo idem æqualis esset, aut quî humiliari, ille Deus, qui naturâ summus est, potest? Quod verò hæc a se vindicata a cavillationibus nostris, quos Arianos vocat, in suis libris de erroribus Arianorum, scribit, quantum opinione sua fallatur, hoc illi Smalcius evidenter ostendit. Atque his discussis, ad disputationis interruptæ cursum redeuntem sequamur.

Pergit mea referre. At modus, inquit, quo factus sit Christus exponitur in sacris literis, dum Iesum a Nazareth unctum esse a Deo spiritu S. & virtute commemorant, Actor: 10. 30. & respondet, *Quasi verò præter hanc unctionem, qua a spiritu S. donis ipsius in humana natura unctus est, non legatur alia, eaque præcipua unctio, & sanctificatio per divinitatis unionem cum humana natura, quâ a Patre sanctificatus est ille homo, & in mundum missus Ioan:* 10. At hujus unctionis nec nomen, nec rem ex divinis literis docebis.

Citat locum Ioan: 10. At illic se a Patre sanctificatum, & missum in mundum Christus testatur, non verò naturam divinam humanæ unitam, & hanc ab illa unctam. Et sanctificari, & mitti in mundum personæ est; ac præterea humanę personæ, uti ex illa oratione Christi liquet, quâ a patre contendit, ut discipulos suos sanctificet, & eos se mittere in mundum, quemadmodum a Patre in mundum ipse missus esset, pronunciat; non verò ejus naturæ humanæ, quam vos, sine persona dum esse vultis, eâdem operâ Christum verum hominem negatis. Nec enim extitit unquâ, ac ne salvâ quidem rerum naturâ, humana natura, sine persona existere unquam poterit. Non igitur docuit Smiglecius unctionem Christi esse incarnationem, quam hoc loco Ioannis assertam voluit.

Naturæ divinæ & humanæ conjunctionem, nusquam in divinis doceri.

Ioan: 17. 16. & 18.

At etiam pergit ostendere, quid hac unctione effectum sit. At prius hæc ipsa unctio asserenda fuerat, tum demùm, quid eâ effectum sit, explicandum. Verùm denuò ait; *eam unctionem iis se locis docere, quibus scribitur: Verbum caro factum est, & formam nostram assumpsisse,* & infert: *Non igitur habet Moscorovius, quod divinæ Christi naturæ ex sacris literis opponat, aut nostram expugnet sententiam.* hæc ille. At prior locus aliter legi potest, & debet, uti ex antecedente oratione perspicuum est, nempè, verbum caro fuit. Quâ lectione admissa, quid inde obtinere potestis? Deinde retenta vestra lectione, quonám pacto id ex iis verbis consequitur, a divina natura humanam esse assumptam, aut divinam naturam humanæ unitam, eamque esse illam unctionem quam contenditis? quin imò, si proprietatem verborum urgeas, tum verbum factum esse carnem, nil aliud erit, quàm, verbum in

bum in carnem mutatam esse, aut, si figurata lectio admittenda sit, tum dicetur verbum factum esse caro, quemadmodum Christus dicitur maledictio factus, & factus peccatum &c. Id verò quantum aberit a vestra, quam urgetis, incarnatione, & humanæ naturæ assumptione? Gal: 3. 13. 2. Cor: 5. 21.

Alter locus, aliter prorsus legitur, quàm a Smiglecio citatur. Nam in verbis Apostoli non legitur, formam nostram, sed servi, accepisse. At forma servi, fortunam servi, & conditionem notat, non humanam naturam. Ergo cùm asseratis rem, quam nullo evidenti testimonio firmare potestis, nihil habet scilicet Moscorovius, quod opponat, aut quo vestram sententiam expugnet, quæ & naturâ suâ impossibilis est, & Evangelicæ historiæ scriptores, qui nativitatem Christi narrârunt sufficientissimè, cur tanta opportunitate solicitante, eam incarnationem reticuissent? Phil: 2. 7.

Redit denuò ad Constantinum, & ait, me scripsisse, Constantinum in patribus numerari non posse. At cum ille, negasse Patres Arianis nomen Christianum, pronunciasset, & Constantinum opposuisset & Athanasium; respondi, Constantinum in patribus numerari non posse. Excipit, *quod neq; ipsi numerent, sed cùm id decretum ex mente patrum condiderit, concludimus eos, in Patrum decreto hoc nomine indignissimos habitos.* At quis historicorum Ecclesiasticorum, contra Arianos ullum decretum aliud, ex mente Patrum latum recitat, nisi quod in Actis Concilii Nicæni scriptum extat? Scilicet quod pandit Dom: Doctor, ob doctoralem illius auctoritatem est admittendum? At in decreto a patribus lato, præter Anathematismum quem Ario dixêre, aliam pœnam non reperies.

Deinde fidem & sinceritatem meam, ut scribit, incusat, quòd scripserim: Constantinum ab Exilio Arium revocavisse, fratrem in literis nominasse, Athanasium in Gallias deportari curavisse, testamentum Ariano sacerdoti Constanti Filio reddêdum credidisse: At nonné singula, quæ recensui, Ruffinus, & Sozomenus historici Ecclesiastici, in suis historiis annotarunt? Nimirum quòd occasiones, & causas factorum, quas Smiglecius recenset, non apposuerim? At nullas ex iis, quas Smiglecius affert, iidem attulerunt. Ergo historicis litem intendat, & si obtinuerit, tum demum, si placebit, me conveniat, & in jus eo nomine agat. Nam quòd toties Baronium Iesuitam suum mihi opponit, non videt homo acutus, tantum apud me Baronium fidei invenire, quantum apud Smiglecium nuda narratio alicujus e nostris hominibus reperiret?

At ait

At ait, ab illo, ea quæ attulit, solidè omnia probari. Cur igitur has probationes non attulit? Ad Athanasii verò authoritatem, quem colligere ex dogmate Arianorum, illos non esse Christianos, non pronunciare scripseram; excipit *quasi verò, cùm id ex eorum dogmate consequi doceat, quòd Christiani jure appellari non possint, non satis expressè pronunciet, ipsos absolutè Christianos non esse.* At ratiocinando colligere disputatoris partes sunt; pronunciare judicis. Athanasius verò cùm adversus Arianos disputaret, disputatoris partes egit, non judicis. Quamobrem fallitur Smiglecius, dum Athanasium Arianos absolutè Christianos non esse, asserit pronunciasse. Hoc enim eorum erat munus, qui vel audiêrunt, vel legerunt, illius, & Arianorum disceptationes, ut penes quos esset veritas, dijudicarent.

Disputatoris & judicis discrimē.

Sed ait, *non posse unius, aut alterius factum opponi Arianis, cum eorum factum legis divinæ non obtineat vigorem, imò contumeliosas appellationes pugnare cum lege Christi, vetantis fratri dicere, stulte vel Racha,* & respondet: *Quasi verò Constantini factum & Athanasii non in jure divino fundatum fuerit. Quos enim universa Ecclesia turpissimi ac fœdissimi in fide erroris ex scripturis condemnaverat, eos ille Christiano nomine dignos non censuit.* At patres Nicæni, quos Ecclesiæ nomine intelligit Smiglecius, non omnes condemnârunt Arium. Fuêre enim, qui apertè contradicerent, fuêre, qui contra sententiam subscriberent. Deinde subsecuta tot certamina, ob vocem ὁμοουσίου καὶ ὁσίας & Concilia inde tot secuta, ac novem in iis procusa Symbola, multum a Nicæno diversa & dissidentia, & menstruæ de Deo post Nicænum Concilium fides, uti eas Hilarius appellat, satis indicare cuivis possunt, non fuisse illam Arii condemnationem toti Ecclesiæ probatam. Præterea vester Bellarminus expressè docet, Arium non ex scripturis, uti Smiglecius Bellarmino repugnans scribit, quas Arium etiam pro se attulisse fatetur, sed e doctrina per manus tradita, a patribus condemnatum. Quid igitur factum Constantini, asserit Smiglecius jure divino niti? Nam quod ad Athanasium attinet, ipse disputat. Ergo rationibus, quas affert, nititur, quæ an in jure divino fundentur, docendum est, non nudè asserendum.

At etiam respondet, ineptè a me legem Christi adductam, quæ vetet fratri dicere, Racha. *Ait enim, legem Christi contumelias, ex ira odioque profectas prohibere, non verò justas in homines impios, atque perversos animadversiones.* Admitto legem Christi contumelias ex ira, & odio profectas vetare. At docendum erat Smiglecio, nullas hîc contumelias in Arium ex ira & odio profectas, dum ille sic tractatus fuerat,

fuerat, demonstrare etiam debuit, jure divino licuisse in eum, qui divino jure niteretur, quemadmodum Bellarminus Iesuitarum Antesignanus testatur, dum Arium pro se scripturas adduxisse fatetur, ad eum modum animadvertere? Comprobandum etiam eidem fuerat, Arium impium, & perversum fuisse, qui contra jus divinum nihil admittere ausus est, & illa omnia, quæ illi intentata fuêre, perpeti maluit, quam conscientiam coram Deo lædere & violare. Enimvero si is impius & perversus statuendus est, uti censet Smiglecius, qui nihil contra conscientiam Dei, divina lege nitentem facere sustinet; tum is pro pio & probo reputandus erit, qui contra conscientiam facit: Quid fiet igitur & Apostolicâ doctrinâ, omne quod ex fide non est, peccatum est? & illa ipsius gloriatione? Hæc est, inquit, gloriatio nostra, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate, & lincerite Dei, non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.

Impietatem objicere faciliùs est, quàm probare.

Rom. 14. 23. 2. Cor: 1. 12. Testimonio conscientiæ, divinæ legi incumbenti, niti oportet.

At hoc licere, etiam Divi Ioannis, qui hæreticos homines, & pseudapostolos, & mendaces, & Antichristos, & eos qui ex Deo non sunt, appellare non est veritus, & Christi exemplis, qui Pharisæos illos cœcos, fures, & latrones, denique ex patre Diabolo natos, vocare non dubitat, excipit Smiglecius. At plurimum inter D. Ioannem, & Constantinum ac Athanasium, & illos patres Nicænos intererat. D. Ioannes fuit Doctor mundi totius, ad ejus institutionem missus, spiritu sancto ita dotatus divinitùs, ut in doctrina nunquam errare posset. At illis, ubi hoc privilegium concessum? Ergo quod licuit Ioanni, non item licuit illis. Adde, quòd Ioannes nominatim nullum perstringat, sed in genere falsam doctrinam in quavis persona damnet. Hoc verò a convitiis, & a contumelia quàm plurimum abest. Deinde, quid Christi exemplum ad illos? Is erat totius mundi Servator, ejusdem judex definitus, cui etiam corda hominum patuêre. Si qui sit, qui par in his Christo sit, eam licentiam usurpet, sin nullus illi par existat, ne exemplum Christi ea in re prætendat. Quanquam Christus pharisæos cæcos nunquam apellavit, nisi convictos, aut ambitione illorum detecta, aut malitia ostensa, quod nondum fecêre adversarii. Quapropter necdum Smiglecius ostendit, illa aliis licuisse.

Christi & Apostolorum, ab aliis discrimen.

Ad locum Hieronymi, quem ex Dialogo contra Luciferianos citaveram; *Ingemuit orbis, & se Arium esse miratus est*, ut ostenderem, quantum a consensu orbis petitum, secundùm eos, pondus haberet argumentum; respondet, *Cùm Moscorovius nobis orbem totum Arianum op-*

num opponit, non animadvertit homo hæreticus, non id asserere Hieronymum, quòd totus orbis verè Arianus fuerit: Et eadę re multa verba fundit, summa tamen huc redit, quod Ariminenses Patres, a Valente decepti fuerint, idque illa verba Hieronymi significare ait: *Dum enim,* inquit, *dicit, ingemuisse orbem, ostendit orbem in Ariana perfidia non fuisse. Quorsum enim ingemisceret, qui Arianam sibi fidem elegisset? sed idcirco ingemuisse dicitur, quia sub specie Orthodoxæ fidei, contra omnem mentem suam, obtrudi sibi Arianam perfidiam videbat, quasi Concilio Ariminensi approbatam, cùm tamen Patres illi nihil minus tunc, quàm errores Arianos approbare, aut Nicænam fidem deserere voluerint, ut ibidem ex Hieronymo constat.* hæc ille. At ego Hieronymi verba urgeo; Miratus est orbis se esse Arianum. Ergo orbis fuit Arianus. Verùm Smiglecius exceptionibus suis vult nobis persuadere, orbem non fuisse Arianum, idque primùm ex eo; Dicitur ingemuisse orbis. Ergo orbis non fuit Arianus. Ratio consequentiæ est, si enim fidem Arianam sibi elegisset, non diceretur ingemuisse. At nonné apertissimè Hieronymus scribit, eò ingemuisse orbem, quòd Arianum se esse miratus sit, at Smiglecius ex eo vult Arianum orbem non esse, quòd ingemuerit. Apertissimè igitur verbis Hieronymi contradicit. Exceptio contra aperta Hieronymi verba, nihil prorsus valet, quæ etiam per se nullius roboris est. Etenim sensum prosopopœicum, cum sensu proprio confundit; & quod Hieronymus ex suo sensu in persona illius orbis loquitur, illius orbis qui Arii sensum secutus est, sensum proprium esse contendit. Vide igitur, quàm meruerim dici homo hæreticus, quia sensum repugnantem verbis Hieronymi non animadverti. O bilem nimis acutam, atque subtilem! Quę verò hîc annectit, de obtrusa patribus in Concilio Ariminensi, Ariana per Valentem perfidia, & patres illos nihil minus tunc, quàm Arianos errores approbare, & Concilium Nicœnum deserere voluisse, in eo nobis, quantopere sit in illa antiquitate versatus, ostendit. Etenim cur Ariani Ariminense Concilium opponebant Nicœno, si Ariminenses patres Nicœnum Concilium non deseruerunt? Vis ejus rei documentum? Audi quid Augustinus contra Maximinum scribat: *Nec ego,* inquit, *Nicænam Synodum tibi, nec tu mihi Ariminensem debes, tanquam præjudicaturus, objicere. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, sed quæ utrisque sunt communes, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet.* Ergo si Concilium Ariminense Nicœno opponitur, constat Ariminenses patres Nicœnum Concilium deseruisse, quos numero, Patres Nicœnos lon-

Smiglecius verbis Hieronymi contradicit.

Lib: 3.

Concilium Nicænum, ab Ariminensib: desertum.

nos longè superasse, testantur Historiæ. At scribit Smiglecius, eos Concilium Nicœnum deserere noluisse. Cur igitur, quemadmodum ostendi, deseruerunt? Quia, inquit, per fraudem a Valente obtrusa Ariana perfidia illis est. Egregia defensio. An in architectos fidei novæ, vel ut circumvenirentur, vel ut inviti quicquam facerent, cadere potuit? At viri divini, qui nobis fidei normam, in divinis literis divinitus tradidêre, non fraudi, nec dolo patuêre, neque unquam ulla vi, ut aliquid inviti facerent, adigi potuêre. Ita Deus pro admirabili bonitate & sapientia sua, ut certa & indubitata fides nostra esset, nobis prospectum voluit, & simul in istis Conciliis, tum Nicœno, quod vos adoratis, partim apertam; partim simulatam patrum discordiam, quæ in subsecutis Conciliis in apertum erupit, ac in aliis grandes nævos extare voluit; uti omnibus innotesceret, & divinæ veritati soli, in divinis literis explicatæ, adhærendum esse, & inter cisternas humanas, ut plurimùm turbidas, & limpidissimos divinarum literarum fontes, plurimum interesse.

Virorum divinorum ingenium, quales vates & Apostoli fuêre.

Secunda exceptio est Smiglecii, ad Hieronymi verba. *Non dicit*, ait, *Hieronymus, orbem esse Arianum factum, sed se Arianum esse, miratum esse, & proculdubio miratus non fuisset, si id contra mentem ipsius non fuisset, & si revera Arianismum suscepisset, sed quòd propter fraudulentam verborum Concilii expositionem, se quodammodo in perfidiam Arianam lapsum videbat, cum ea perfidia orbi, doloseque obtrusa, non verò ab ipso unquam suscepta fuisset. En igitur Moscorovi, habes, unde exultes, atque glorieris inaniter, jactando totum orbem Christianum Arianum fuisse. Cùm potius, ex eo contrarium doceatur, nempe contra omnem mentem ac voluntatem totius orbis Christiani per dolum Valentis, toti orbi obtrusum fuisse, quasi a Concilio Ariminensi approbatum, sed hac de re præclarè Baronius in Anno 359.* At rogo, quæ vis hujus exceptionis? Non dicit Hieronymus orbem Christianum factum esse Arianum, sed esse Arianum. Ergo orbis non fuit Arianus. Imò si dicit fuisse. Ergo fuisse ex ejus oratione colligitur. At miratus non fuisset, si id contra voluntatem ipsius non fuisset, & si revera Arianismum suscepisset. At quare miratus est orbis, se esse Arianum, si Arianus non fuit? Nam etiamsi præter mentem fuerit, consequitur eum fuisse: reipsa autem, quomodo is non susceperat Arianismum, qui Arianus fuerat? Atque hoc idem etiam Smiglecius verbis suis concedit, quod e verbis Hieronymi consequi negat. Ait enim orbem se quodam modo, in Arianam perfidiam lapsum vidisse. Item Arianismum per Valentem toti orbi obtrusum fuisse, quasi a Concilio Ariminensi approbatum.

Smiglecius admittit tandem, quod oppugnavit.

tum. Ergo ex his perspicuum est, si orbis se prolapsum in sententiam Arii vidit, Arianum fuisse. Item, si Arianismus toti orbi, idque per Concilium obtrusus fuit, Arianismum tum obtinuisse. Pari enim ratione quod Nicœna fides per Concilium orbi obtrusa fuerit, eam obtinuisse, tum etiam colligi potest. Nihil igitur erat, cur mihi exultationem, & gloriationem inanem tribueret Smiglecius, ob Hieronymi citata, in eam rem verba, cùm, si prolixior ea in re esse voluissem, Arianam tum potentiam, ingenia, eruditionem, imperatorum autoritatem ad eam rem confirmandam, satis in veterum scriptis contestatam, producere potuissem. Iactationes verò, & gloriationes inanes, utri potius conveniant, lectores cordati, ac pii decernant.

Scribit amplius. *Denique frustra nomen Arianorum detrectat, cùm id propter quod Ariani præcipuè sunt habiti Ariani, profiteri non dubitet. Id verò est, Christum non esse consubstantialem Patri, seu ejusdem cum Patre essentiæ. Hoc enim, & præcipuum dogma Arianorum fuisse, propter quod Ariani in Concilio Nicæno condemnati sunt, & Ariani vocati sunt, per se manifestum est. Etenim a præcipua parte fieri denominationem, nemo præter Moscorovium ignorat, qui hoc tanquam vitium imperitè opponit mihi, quod ab uno præcipuo dogmate, Arianos appellatos asseram.* hæc ille. At primùm nego, eos qui existentiam Christi, antequam spiritu Dei conceptus e Maria nasceretur, negavêre, appellatos unquam Arianos, nedum judicatos, ut apertissimè ex Iustino in appendicis refutatione ostendi (in Dialogo cum Tryphone Iudæo.) Vbi Iustinus pro Christianis agnoscit eos, qui de Christo sententiam eam secuti fuerant, quod is, antequam e virgine Maria nasceretur, non extitisset, qui certè Arium multis annis antecesserant, & semper pro Christianis, etiam ab iis, qui diversam de Christo opinionem habuêre, agniti sunt. Deinde illos, qui eidem sententiæ adhæserunt, quorum mentio fit in historiis, nulla vetustas Arianos appellavit, quemadmodum in Appendicis refutatione exemplis ostendi, ad quæ obmutuit Smiglecius.

A primis veterib⁹ sententiæ nostræ de Christo defensores, pro Christianis habiti.

Postremò falsum est, me profiteri, quod Arius professus sit; Ego enim Iesum Nazarænum spiritu S. conceptum, e virgine Maria natum, Filium Dei proprium, & unigenam profiteor, ille autem qui ex non entibus factus erat, Filium Dei professus est. Ergo tam ego, quàm nostri, non secundùm rectam rationem, aut primæ antiquitatis usum, sed quòd adversariis nostris ita libeat, Ariani ab iis vocamur. Quanquam quæcunque nomina nobis a vobis imponantur, ea Dei beneficio nostram causam, quæ veritate divina nititur, deterio-

Autoris & Arii in sententia de Christi origine discrimen.

rem

rem non reddent, neque nos coram Deo,& Christo domino nostro, ullo dedecore conspurcabunt,si in veritate ejus sancta, a nobis agnita ad extremum perstiterimus.

At Arianorum dogma, negare Filium Deum consubstantialem præcipuum fuisse, & per se manifestum esse ait. Cui verò manifestū est, inquam; Smiglecio? At cur ad rationes non respondet? A præcipuo fieri denominationem,neminem ignorare nisi me,ait Dom:Doctor. Ejusmodi decretum, sapientiam D. Doctoris, in illustri atque excelso loco ponit. Nos tamen rationibus, non decretis, agamus. Quæ sunt essentialia rei,illa præcipua esse,nemo, arbitror,negaverit. Filium Dei ex non entibus esse factum,fuisse essentiale Arii dogma, hinc patet; quòd id de Filio Dei affirmaverit,professus sit,& docuerit. Negationem rursus sententiæ adversariorum, nempè quòd Filius non fuerit Deo consubstantialis, accidentariam fuisse, hinc perspicuum est;quòd ista negatio essentiam confessionis illius non constituat.Ergo non negatio sententiæ adversariorum,sed professio sententiç illius,fuit Arii præcipuum dogma. Alia etiam attuleram in refutatione appendicis, quæ non attigit D. Doctor, & ego prætereo, cùm res non magni momenti sit. Quapropter non docuit D. Doctor, sententiæ adversariorum negationem fuisse Arii præcipuum dogma,neq; mihi cumArio in præcipuo dogmate convenire. Quod etiamsi docuisset,tamen nos esse Arianos ineptè concluderet, quippè qui non ex uno aliquo dogmate, licet essentiali, (nisi forte illud tale esset, quod formam, & specificam differentiam, ut loquuntur, contineret,qualem non fuisse,adversæ sententiç negationem ostendimus) sed ex præcipuis multis, ea res definiri deberet.Quemadmodum exemplo Iudæorum, cum quibus Christianis, in quibusdam essentialibus conveniat, in refutatione Appendicis planum feceram, ad quæ respondet, *Iudæos non ob id dogma Iudæos esse dictos, sed ob peculiares ritus.* Scilicet hoc in quæstione erat, cur Iudæi dicti sint Iudæi; & non hoc, quòd, etiamsi Christianis cum Iudæis in essentiali dogmate conveniat, tamen nemo sit, qui propterea Christianos Iudæorum nomine censeat. Et cum ita Dom: Doctor,& quidem frequenter respondeat, quemadmodum cordatus lector animadvertere potest,extremæ insciciæ adversarium damnat?

Smiglecius aliud pro alio sæpe reponit.

At perstat, & ait: *me falli, quòd Arii dogma præcipuum ostendam, Filium Dei ex non entibus esse factum. Constat enim,* inquit, *ad negandum Filium Dei,ex essentia genitum, quod Ecclesia tum credebat, inventum illud esse ab Ario dogma.Quare pro uno Arii dogmate, censeri debet,Filium*

Dei, non de substantia Patris genitum, sed non ex entibus conditum (utrumque enim ad unum finem spectat &c.) aut certè illud principale. At unde id constat? quia ad unum finem spectat? Ergo lapides, ligna, clavi, quia ad unum finem spectant, nimirum structuram domus, erunt unum & idem? Arius verò, cur negasset sententiam adversariorum, nisi prius eam animo, de filio Dei, quam professus est opinionem, cõcepisset? At esto, prius negaverit adversariorum sententiam, quàm animo certam opinionem de Filio Dei conceperit, nihilominus cum de principali, & præcipuo dogmate quæritur, non quod ordine prius sit, idem semper principale, sed quod essentiam rei constituit, illud sit principale, & præcipuum necesse est. Atqui negationem sententiæ adversariorum, non constituere essentiam confessionis Arii, hinc liquet; quòd negatione aliorum sententiæ illum dissentire ab adversariis notum fuit, at quid sentiret, incertum. Verùm professio ipsius cum sensum illius penitus exprimeret, illius sententiam omnibus aperiebat, eoque professio, cum confessionis ipsius essentiam constitueret, fuit præcipuum Arii dogma. Nec verò possunt ista pro uno dogmate, uti infert in disputatione Smiglecius, censeri; cùm naturâ sint distincta, & diversos fines habeant; Alterum enim asserit rem certam; alterum negat rem longè diversam, ut ipse etiam Smiglecius fatetur.

Deinde ait: *Non esse verum, quod scripsi, Arium id negare non potuisse, quod nondum extiterat. Vocem enim ὁμοουσίου, a patribus inventam Bellarminum testari.* & excipit: *licet vox non extiterit, rem tamen extitisse, & semper ab Ecclesia creditam esse.* & tum ostendit, quanta vis ὁμοουσίου extiterit. At Smigleci, probandum fuit, quod nudè asseris, rem hanc ante extitisse, & semper ab Ecclesia creditam esse. Nam ego ex Patribus ostendi contrarium. Quod verò ad vim ὁμοουσίου attinet, fateor illius magnam vim fuisse. Tantum enim turbarum per orbem Christianum dederat, tanta dissidia excitaverat, & tam longè lateque sparserat, ut Ecclesiæ facies, cùm etiam illis gravissimis persecutionibus concuteretur, nunquam antehac miserabilior apparuerit: quemadmodum apud Doctores illius temporis videre est, qui nunquam illius Ecclesiæ miserandam fortunam, satis deflere & deplorare potuerunt.

Vt nec vocem ὁμοουσίου, ita neque rem ea voce significatam, ante Concilium Nicænum, vulgo aut creditam, aut communiter notam fuisse.

At verò ait: *frustrà me queri, falsò mihi impingi, quod filium Dei, verum esse Deum negem, quippe qui asseram, eum esse verum Deum, & eò quia filius Dei sit, non esse eundem naturâ Deum, cujus sit filius,* & respondet,

spondet, *quis in istis verbis fraudem & dolum Arianorum non deprehendat? Eodem quoque sensu Arius filium Dei, verum Deum fatebatur, sed non ejusdem cum Patre substantiæ, & tamen eam falsitatem Patres & orbis sibi obtrudi passus non est, ut quis verus Deus diceretur, qui ab uno vero Deo naturâ diversus est.* En acumen in respondendo. Objicit mihi dolum, cur me ejus non convicit? Dolus est, cùm aliud est actum, aliud simulatum; at ego nihil simulo, sed apertissimè sententiam meam profiteor, & tamen mihi dolum impingit? At ait: Arium simili confessione, verum Deum professum esse, at Patres & orbem non passos sibi obtrudi eam falsitatem. At acutè D. Doctor; qui sententiam suam, utut naturâ falsam, veram opinetur, candidè & apertè proponit, dolo agere censeri potest? Itáne Arium? Itáne me doli convicisti? Ac præterea non illicò de Ario probares, quod hîc asseris; deinde falsum est, patres omnes, opinionem Arii obtrudi sibi passos non esse, cùm fuerint, qui in ipso Concilio, symbolo Nicæno & Patribus contradixerint; fuerint qui contra animi sententiam subscripserint, & hos doli argue, si libet. Orbem verò id admisisse, perpetui Ecclesiæ, qui Concilium Nicænum subsecuti sunt motus, quibus misere Ecclesia agitata, & conquassata fuit, prolixissimè Smiglecii assertiones nudas, illi usitatissimas, refellunt. At quænám ista, Smigleci, falsitas? nempe ut quis verus Deus dicatur, qui non sit naturâ Deus? Cur verò, inquam? cùm inquit, unus sit Deus verus secundùm scripturas, is qui ab eo diversus est, Deus verus dici non potest, nisi plures Dii veri credantur, & admittantur.

Doli qua sit natura.

At ut secundùm scripturas, unum verum Deum dici, qui naturâ verus Deus sit, non agnosco solùm, sed etiam contendo; & eum Patrem esse doceo; ita Deos veros, sed officio, similiter agnoscere scripturam, ipsius filii Dei voce doceo. Is enim sic apud Ioannem ait: *Nonné in vestra lege scriptum est; Ego dixi, vos dii estis, si illos dixit Deos, ad quos verbum Dei factum est, & non potest solvi scriptura, me, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, dicitis, quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum.* Quos igitur, ut ait Servator, Deos pronunciavit Scriptura, quæ solvi non potest, ii sunt Dii. Non naturâ; Ergo munere, & officio. Non falsi, Ergo veri. Alioquin argumentum Servatoris nostri a falsis diis, ad asserendam divinitatem suam, non procederet. Ergo agnoscit veros Deos plures scriptura, qui non sint naturâ Dii. Atque cùm ex eodem loco, divinam suam filiationem, ac proinde divinitatem asserat Christus, quòd pater eum sanctificaverit, & miserit in mundum, perspicuum est, divinitatis illius causam esse sanctificationem

Ioannis. 34/ 35. 36.

Causa divinitatis Christi, vera & genuina, a Christo explicata.

nem Patris, ac in mundum missionem. Non igitur divinam naturam, aut divinam ex substantia Patris generationem.

Deinde ait Smiglecius: *Cùm Filius Dei secundùm Arianos sola similitudine accidentaria cum Deo vero sit Deus, quis non videt eos fucum facere, dicendo eum verum Deum esse? Similitudo enim rem veram non facit, uti in lib: 1. de Erroribus Arianorum à se demonstratum ait; ut similitudo in aliquibus proprietatibus cum auro, non aurum verum facit, vel hominem cum homine, ita neque similitudo in divinis proprietatibus facit verum Deum.* At cùm ingenuè profiteamur, quo sensu Christum esse verum Deum agnoscamus, nempe ob communicatam cum illo a Patre divinam majestatem, & potentiam; non autem propter naturam, quam vos illi attribuitis, divinam; quod est in tam ingenua confessione, vel minimum fuci vestigium? Similitudinem porrò sine natura, rem non efficere, veram quod scribit, neque nos similitudini naturam caussæ in efficiendo tribuimus, sed declarationem, quæ in Regis exemplo deprehenditur. Quid regem verum facit? non certè natura, quam reges singuli humanam habent, & habuêre; sed illorum munus regium, nimirum Regis majestas, regia potentia, regnum, & regni legitima administratio. Ita cùm in Iesu Nazaræno divina majestas: Nam eum Pater in suo throno unà secum collocavit: divina potentia: Nam Deus illius pedibus omnia, se excepto subjecit; divina etiam regni divini administratio, tot documentis in actis Apostolorum, ut alia ejus rei monumenta prętream, contestata refulgeat: & apertissimè divinæ literæ eum factum a Deo Dominum, certè divinum testentur: cùm eum Deum verum, qui Dominus divinus sit, docemus, nihil contra scripturam ex qua id evidenter colligitur, nihil contra rationem, quæ id suadet, prorsus facere censendi simus. Viderit igitur Smiglecius, quam aptè exemplum hominis vel auri opponat, ubi non de essentialibus, sed de iis, quæ præter essentiã accedunt, quæritur. Et sanè ita non fieret ullus Dominus verus, quia naturâ nemo sit, propriè loquendo, Dominus, excepto Deo.

Apocal: 4. 21. 1. Cor: 15. 27. Act: 9. 5.

Essentialia cum accidentium natura, non confundenda.

Pergit, *& illam rationem ineptam vocat: Filius Dei, idcirco est verus Deus, quia filius, Pater verò non idcirco (est verus Deus,) quia filius.* Ergo *Filius non est idem qui pater Deus*, & respondet: *Si filiationem esse divinitatem Filii intelligat, falsum docere*, & adversus eam rem disputat. Atqui ego ex confesso dogmate adversarii disputo, quàm igitur aptè meam intelligentiam hîc venetur, aut me ipsum docere quippiam tradat, lector expendat eruditus. Deindè quod hîc filiatione divinitatem Christi naturalem, ut ille ait, non contineri disputat, ista

tat, ista mysteria quid ad me? Mihi satis est ostendisse, ipsorum dogma esse, Filium idcirco verum esse Deum, quòd ex essentia Patris genitus, ac proinde quòd Filius sit, quod cum etiam ipse agnoscat Smiglecius, qui originem ad hoc intercedere, ut Filius verè Deus sit, scribit, & id necessariò verum esse admittat; certè nihil erat, cur illa de filiatione afferret, & non potius ad rationem meam directè responderet, cùm Deus Pater sit Deus, non idcirco, quia ex essentia Patris sit genitus, quemadmodum de Filio asserunt adversarii, effici, Filium non esse eundem absolutè, qui Pater est, Deum.

Respondet, *diversos esse modos eandem naturam acquirendi, & habendi, neque tamen modos illos variare rei essentiam. Sic ignem genitum ab igne, non esse diversæ naturæ, ab eo qui genitus est a Sole.* At hæc exceptio & instantia in naturis diversis locum fortasse haberet, at non in una eademque. Quapropter nihil ad rem præsentem facit. Deinde non esse diversum ignem elementarem, ab igne solis, vel motu excitato, quis hoc præter Smiglecium asseruerit? Nam quod diversas causas habet, quomodo diversum ratione causæ non erit? ratione verò effectuum, abeat ad pyrotechniæ magistros, & ex illis discat, hos ignes effectu multum distare. Quamobrem nihil attulit Smiglecius, quod meam rationem vel tantillum, nedum tam ineptam monstraret. Postremò, quomodo ignis ignem generat? Vt enim aqua quocunque derivetur, non generat aquam, sed eadem semper, quoad naturam, aqua manet, & aër quæcunque tandem corpora subeat, non aërem generat, sed semper idem est, ita & ignis a quacunque tandem materia excipiatur.

Pergit *maledicta congerendo, impietates, blasphemias, & effrontem impudentiam, & alia mihi objiciendo*, ad quæ opponere patientiam, Christi Domini mei disciplina jubet. Impietatis certè nullius per Dei gratiam me convincet unquam, ut ut illam mihi objiciat, multò verò minùs effrontis impudentiæ. De blasphemiis, inter nos quæstio est. Nam quas ille salutares putat opiniones, easdem iisdem ipse titulis possem ornare, quibus ille me ornat. Sed hoc esset imitari, Domini Doctoris linguæ incontinentiam.

At eo me *impietatis, blasphemiæ, & effrontis impudentiæ convincere vult, quod negem contra manifestas scripturas, Filii Dei ab æterno existentiam, & aliam ab humana distinctam naturam, & mundi creationem, neque tot Arium, quot me, blasphemias evomuisse.* At cum ea me negare contra manifestas scripturas in appendice scripsisset, & ego nullas scripturas, nedum manifestas, extare de iis rebus asseruissem, at-

que ita necessitatem illi eas manifestas scripturas producendi imposuissem, cur istas manifestas istis de rebus scripturas, non produxit? Nempe facilius erat, eadem regerere, & regesta maledictis cumulare, quàm manifestas iis de rebus scripturas proferre, quas res cum obtrudi mihi, nisi manifestis scripturis docerentur, pati nolim, blasphemias scilicet tot tantasque scribor evomuisse.

Smigleeii in disputando modestia, scilicet.

Scribit deinde, *Me ex eo, quod Christus conceptus, & natus sit è Maria virgine, nimium stolidè inferre, eum nullam antea habuisse existentiam*, & respondet, *nihil posse aliud ex eo inferri, nisi quòd secundùm id, quod ex virgine accepit, non extiterit, non verò quòd aliam naturam, & existentiam a carne distinctam non habuerit. Cùm enim una natura, & existentia asseritur, non excluditur altera, nisi aliud probetur.* hæc ille. At multiplicatis existentiis Christi, ipsum suppositum, Christum nempe, multiplicari oporteret. Quod cùm sit inconveniens summũ, Ergo & illud, nimirum Christi existentias multiplicari. Quapropter unicâ existentiâ e virgine Maria admissâ, quam admisit ipse Smigleccius, aliam excludi prorsus est necesse. Respondeat igitur Dom: Doctor directè ad argumentum, & stoliditatis, quam mihi objicit, reipsa & ratione me convincat. Adde quod Matth: & Lucas, qui soli nativitatem Domini Iesu sufficientissimè exposuerunt, Christum e spiritu S. & Maria virgine natum, expressissimè docuerunt, alterius naturæ ab humana distinctæ nihil prorsus meminerunt. Vnde hoc mysterium, aut illis prorsus incognitum fuit, aut illud scientes ac prudentes omiserunt. Non hoc. Nam si historiam sibi exactè notam omisissent, fidem suam, & historiæ veritatẽ apud omnes prodidissent Ergo illud; nempe divinæ historiæ scriptores de isto mysterio nihil prorsus compertum habuisse; ac ne Apostolum quidem, qui Christum natum e muliere cùm scribat, hac occasione, alterius illius naturæ nullam mentionem facit. Horum igitur auctoritate fretus, desipere cum his malo, quàm cum tali doctore, nimium sapere. Quanquam qui dogma tam absonum sequuntur moniti, quantam sapientiam præ se ferant, illi vident, qui præjudicatis opinionibus nuncio remisso, omnia ad calculum divinæ vocis, & sanæ rationis examen, vocanda sibi proposuêre.

Multiplicatis existentiis, multiplicari supposita

Gal: 4. 4.

Scribit deinde, & ait: *injuriâ me queri, Arianos gentiles, & idolatras appellari, quod loco Dei gentiles, & Idololatræ, idola colerent, nos verò Christum cum Deo, propter Dei voluntatem, & Christi majestatem illi a patre donatam colere ait*, & respondet *eam meam defensionem esse mei accusationem.* Quid ita? *Nec enim solùm Idolatra est*, inquit, *qui ex-*

cluso

cluso Deo creaturam colit, sed etiam qui verum Deum agnoscens debitum illi soli honorem creaturæ communem facit. Ego enim Iehova, ait Dominus; Gloriam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus Esaiæ 48. 8. *& Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies* Matth: 4. *Quæ loca expensa sibi ait in* 1. *de Erroribus Arianorum libro.* At ex testimoniis citatis, nullo modo apparet, eum qui voluntate Dei, Christum ob illius Majestatem divinam colat, esse gentilem, vel idololatram. Nam locum Esaiæ de Idolis agere, adjecta verba: neque laudem meam sculptilibus, documento sunt. Præterea cùm universus honor Christi, & voluntate Patris illi exhibeatur, & in Patrem redundet, quis non videt, Deum coli, cùm Christus ipsius, in ipsius gloriam colitur? Postremò divinæ literæ, datam a Deo Christo gloriam, & gloriâ, & honore eundem coronatum apertissimè testantur, & Christus petebat se a Deo glorificari, & sibi gloriam a Patre datam confessus est. Ex altero itidem loco nihil prorsus, quod vult Smiglecius, concludi potest. Nam qui exequitur Dei voluntatem, is verè Deo soli servit, & qui Christum Dei voluntate adorat, Deum adorat.

Christo a Deo datam gloriam, literas divinas testari. 1. Pet. 1. 21. Heb: 2. 9. Ioan: 17. 2. & 22.

At cùm idem patribus, omnia præseferat tribuere, audiat igitur quid Theodoretus dial. 2. Atrep: scribat: τὸ δεσποτικὸν σῶμα ἄφθαρτον μὲν αὐτὸ, καὶ ἀπαθὲς, καὶ ἀθάνατον, καὶ τῇ θείᾳ δόξῃ δεδοξασμένον, καὶ παρὰ τῶν ἐπουρανίων προσκυνεῖται συναμένων. Ergo si vera sunt, quæ Theodoretus apertissimè scribit, Dominicũ corpus a potestatibus cœlestibus adorari; Angeli sententia Smiglecii, erunt idolatriæ damnandi. Quid igitur non licebit, istis doctoribus? Deinde agnoscit id verum esse, Dei voluntatem esse, ut Christus a nobis pro Deo colatur, & respondet, *id tamen Deum mandare non potuisse, nisi homo ille verus & naturâ Deus esset: imò quòd mandavit, necesse est veram & naturalem illi divinitatem inesse, sine qua nemo divino honore affici potest* hæc ille. At nesciebam Dom; Doctorem tantæ esse auctoritatis, qui altissimo etiam leges poneret? Cur verò mandare Deus non potuit, ut Christus, etsi naturâ homo, propter divinam majestatem, quam illi contulit, dum eum in throno suo collocavit, & ad dextram suam, ut divinæ literæ testantur, constituit, divino honore, coleretur? An quisquam potuit Deum, ne id faceret impedire? Aut ullam hoc involvit contradictionem, ut is divino honore colatur, qui divinam majestatem a Deo summo in eum finem accepit? An quod honor divinus, naturam divinam, ut ille ait, requirat? Proferat in eam rem tabulas divinas: Eum divino honore coli non posse, quẽ Deus divino honore coli vult, nisi habeat naturam divinam. Ratio

etiam ostendit, eum, qui divinam majestatem habeat, & potestatem mei servandi,& damnandi in perpetuum,ac mihi in necessitate quavis opem ferendi,& mei puniendi,& castigandi plenissimam,divino honore prorsus esse colendum.Nec enim tam naturam,quàm Majestatem, & amplitudinem ac benefaciendi, vel etiam malis afficiendi summam potestatem,adorationem exprimere, docent Reges,Cæsares, Imperatores.

Quibus rebus exprimatur adoratio.

Vnde verissimè statuitur, eos qui providentiam Dei negent, ut ut Deum esse concedãt,omnem religionem,& pietatem,ac proinde universum cultum Dei prorsus evertere, & abolere, atque Deum prorsus negare.

Quod verò ex eo, quòd mandavit colere Christum Deus,colligit,Christo naturalem divinitatem inesse, tãtùm abest,ut quicquam roboris habeat, ut ex eo quòd mandavit colendum, sequatur longè efficaciùs,Christo nullam inesse naturalem divinitatem. Nam hîc omnis cultus a vi mandati pendet; At hoc in illo summo Deo, locum non habet,qui certè alterius mandato,cultus non est nec coli potest.

Quod verò ex loco Ioan: 4. 22. ex pari honore, parem honoris rationem, parem ad judicandum potestatem colligit, id bono sensu admitti potest, & cùm hanc potestatem agnoscat divinam, & increatam,benè est.Nec enim ego aliam,quam divinã potestatem in Christo agnosco,quam tamen datam sibi Christus, & hîc, &alibi testatur.

Pergit, *& me ait murmurare , quòd illos nihil juris in nos habere profiteor , neque cum sint adversa pars , illis ullo jure licere,ut sint nostri judices*,&c. & respondet:*ea oratione omnes rebelles,& seditiosi, adversus suum legitimum magistratum uti posſent.* hæc ille. O egregiam exceptionem, & acumine Smigleciano dignam. Ego nego illos esse nostrum magistratum. Ille ita excipit,ut se meum esse magistratum, quemadmodum rebellium civium,& seditiosorum legitimus magistratus est, asserat.At hoc ipsum est quod quæritur. Nam nec rebellis, nec seditiosus ego civis; neque vos sacerdotes pontificii, meus magistratus.Et id clarissima voce professus sum,& profiteor. Quid igitur me murmurasse scribit iste Dom: Doctor? An me suæ frontis nubecula territum putat?

At jam pandit nobis oracula. *Quis,inquam,nescit, Christum in Ecclesia sua oves pastoribus subjecisse , eamque ipsis potestatem contulisse etiam,ita ut non solùm eas ad sibi obediendum præcepto compellere possint, sed etiam pœnis temporalibus afficere , & Satanæ tradere ad interitum carnis,ut spiritus salvus fiat.* At unde nobis hoc oraculum?pastoribus

cam a

eam a Christo potestatem collatam, ut pœnis temporalibus oves Christi ad religionem, & pietatem compellere possint? Certè id pugnat cum natura fidei, cùm fides ex assensu, assensus ex persuasione, persuasio e divinis rationibus oriatur. Pugnat cum scriptura, quæ quicquid ex fide non esset, peccatum esse pronunciat. Pugnat cum ipsa religionis natura. Nisi enim ea voluntaria sit, prorsus nullam esse constat, quemadmodum Lactantius, & veterum aliqui idem valde egregiè, & deprehenderunt, & docuerunt.

Coactionem cum religione & fide pugnare.

Sathanæ præterea traditio ad interitum carnis, non est ejusmodi corporalis pœna, quocunque modo eum interpreteris, qualem Smiglecius unâ cum suo Bellarmino, in alios extendi vellent, nimirum carcer, privatio fortunarum, honoris, vitæ, ignes, incendia, exilia, &c. Quare jure divino id licere vobis in oves Christi, nunquam docebis, etiamsi te in mille formas vertas, quin etiam ipsis pastoribus, quos tales verè esse constet, jus divinum, dominatione interdicit. *Pascite*, inquit, *illum in vobis gregem Dei, prospicientes, non coactè, sed spontaneè, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè, neque ut dominantes cleris*, (nota Smigleci) *sed exemplaria facti gregis.*

Pergit: *Ii igitur qui Arium hæresis condemnârunt, Arianosque Christiano nomine abjudicarunt, non pars adversa fuerunt, sed magistratus legitimus, pastorum ex universo orbe congregatorum, cui Magistratui etsi rebelles Ariani repugnent, jure tamen, & institutione divina, velint nolint, subjici debent. Omnem enim animam sublimioribus potestatibus subjicii debere, idque propter conscientiam Paulus præcipit. Porrò sicut veterum Arianorum legitimi judices Episcopi tunc fuerunt, ita Episcopi illorum in fide & potestate successores, nunc quoque legitimi judices sunt.* hæc ille. Primùm illi pastores, hæresin, ut scribis, condemnârunt, at non ex scriptura, uti Bellarminus vester testis est. Ergo condemnatio illorum, non fuit legitima condemnatio, sed Arii, qui pro se scripturas proferebat, quemadmodum disertè Bellarminus idem scribit, oppressio. Deinde errorem, ut illi censuêre, condemnârunt, at eum Christiano nomine non abdicaverunt, uti eorum decretum testatur. Non igitur subsistit, quod scribit Smiglecius, eos abjudicasse Ariũ nomine Christiano. Tertiò, prælati vestri a Pontifice Romano, suam successionem habent, & auctoritatem. At illi patres Nicœni non a Romano pontifice suam successionem, & authoritatem habuêre, quippe cujus ditionem in suburbicas Ecclesias duntaxat extendi tum patres Nicœni agnovêre; & honoris prærogativâ præ illo, Hierosolymitanum E-

Nicænos Patres Romani Pontifices auctoritatem non agnovisse.

piscopum decoravêre. Quartò, fidem unius Dei in tribus personis in Concilio Nicæno non sunt professi, quam vos profitemini. Postremò, non fuit illis a Christi nomen professis, tum mota multis in religione Christiana corruptis dogmatibus, quemadmodum movetur vobis, a tot regionib⁹ controversia. Quid igitur vos sigillatim cõsideratos, in fide, & potestate illis æquas, qui præter illa, etiam Concilio præfuerint?

Rom: 13. 4.

Sed his omissis, divinum testimonium, quod Smiglecius contra nos stringit, videamus. At Paulus, loco citato de politicis potestatibus agit, quemadmodum ex inferiore Pauli oratione perspicuum est, sic enim ibidem: *Principes non sunt pavor bonorum operum, sed malorum* &c. Item: *si malum feceris, time, nam non frustra gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè agit.* At quid hoc ad vos? Imo verò dic tu mihi, cur vos ipsi contra tam apertam Christi Domini legem, per Apostolum latam, jugum Magistratus politici excussistis, dum causarum vestrarum cognitionem & definitionem ad alium Dominum transtulistis? An hoc est subjici potestatibus sublimioribus?

Dominari in oves Christi, jure Divino, pastoribus non licere.

Quamobrem agas quicquid velis, nunquam tamen jure divino, licere vobis in alios dominari, & eos ad tuam sententiam vi cogendos esse, docebis.

Objecti astus depulsio.

At cùm Domini nostri Iesu Christi tabulas in eam rem postulassem, astutè me fingere vis Ignorationem, legis a Christo Mat: 18. contra eum latæ, qui Ecclesiam non audierit, &c. Verùm qui in eo astus est, quòd rem controversam lege Domini approbare postulem? At in eo summus astus est, aliter legem, quàm a Christo pronunciata est, usurpare, & quidem ad negligentem Lectorem capiendum vafrè tensus. Nã Christus de certo casu, nempe si frater in fratrem peccâsset, eo loco agit; & in ea hypothesi persistens, si is, puta frater peccans in fratrem, non resipiscceret authoritate Ecclesiæ monitus, eum pro Ethnico, & publicano habendum illi pronunciat. At Smiglecius dum legem Christi usurpat, categoricè, & universè, qui Ecclesiam, puta in omnibus quibuscunque rebus non audierit, & ex certa hypothesi, facit universalem thesin, an non hic astus est?

Astus Smiglecii.

Deinde hæc lex posita est iis, qui sunt in eadem Ecclesia, non iis, qui inter se tum de aliis dogmatibus, tum de ipsa Ecclesia controvertunt. Postremò, quid is locus facit ad ostendendum, Smiglecium, qui adversa pars sit, esse debere meum in rebus ad religionem pertinentibus judicem? Nam quæ de amplissima potestate Ecclesiæ differit, hæc in genere fatemur; at si ad hypothesin descendat, novit esse controversa, cui hæc Ecclesiæ conveniant.

At as-

At affert rationem, *eum puniendum esse, qui apostatavit*, ut loquitur, *quia in Deum, & Ecclesiam peccavit, idque exemplo militis, qui obligatus sacramento militari, si militiam deserat, punitur: & tales esse hæreticos qui fidem suam per baptismum Christo, & Ecclesiæ obstrinxerunt* &c. hæc ille. At respondeo, aliud est apostatare, ut loquitur Smiglecius, id est, a religione prorsus deficere. Hoc enim apostatarum est; aliud verò ad Christi disciplinam omnia revocare, & ex eadem abusus omnes, tùm in doctrina, tùm in vita reformare conari, quod nobis propositum. Quapropter tantum abest, ut in Deum, & Ecclesiam peccemus, ut aliter nec Deo nostram operam probare, nec de Ecclesia Christi melius mereri possimus, quam si institutum indefesso labore, atque studio persequamur. Exemplum militis, multùm dissimile. Etenim suscepto militiæ sacramento, etiam coactus miles a militia non recedat, necesse est, nisi exauthoratus. At Christus non vult sibi serviri, nisi a voluntario milite, & quam primum quis voluntatem Christo serviendi abjicit, licet ille in numero militum ejus maneat, Christi miles esse desinit. Vnde apparet, ut ad Christi militiam suscipiendam, ita ad retinendam, neminem esse cogendum. Vbi enim coactio intercesserit, nullam esse religionem certissimum est, uti ante monuimus, adeò ut ille Longobardorum Rex rectissimè rescripserit: Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus.

Milites Christi ab aliis militibus plurimum distare.

At hæreticos esse, instar perfugarum militum scribit. At non videt de eo disputari, quinám hæretici sint, ac neque hactenus docuit, neque verè unquâ docebit, nos esse hæreticos. Præterea divina lex novi fœderis nihil in hæreticos statuit, nisi ut post unam, aut alteram admonitionem vitentur. Qui ergo contra hanc legem nituntur, eos legis Apostolicæ prævaricatores esse necesse est. Postremò est quod mirêre, quòd hæreticos fidem obstrinxisse per baptismum Christo scribat, & superius fidem non habere infantes baptisatos sæpius sit confessus; Ergo fidem quam nullam habuerunt baptisati, Christo, & Ecclesiæ obstrinxerunt?

Tit. 3. 10.

Dogmatum Smiglecii pugna.

Caput IX. inscribit:

Trium personarum unam essentiam rectè colligi ex 1. *Ioan:* 5. *adversus Moscovium ostenditur.*

SCribit me ex loco hoc 1. Ioan: 5. 7. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, verbum, & spiritus S. & hi tres unum sunt, asserere,

rere, non posse colligi trium personarum unam essentiam. *At nos*, inquit, *hoc argumento colligi ostendimus*. Verùm prius erant summovendæ exceptiones meæ, tum argumentum opponendum. Id verò argumentum verbosè prosequitur, summa tamen rei hæc videtur: Hi tres dicuntur a Ioanne testes in cœlo, hoc est, testes divini, non ratione perhibiti testimonii, Ergo naturæ. Antecedens probat: si ratione testimonii perhibendi, dicerentur testes in cœlo, tum plures tribus in cœlo testes essent, ut Angeli, qui etiam Christo non semel, ut ait, testimonium perhibuerunt. Consequentiam verò fulcit hac ratione: quòd dicantur testes in cœlo, cœlestes & divinos testes esse, ut qualitas testium, & testimonii indicetur, quomodo Angeli testes dici non possint, quia nec testes divini, nec eorum testimonium divinum; eoque Ioannem testimonium illorum testium, vocare testimonium Dei. Hæc sunt succus prolixorum Smiglecii verborum.

At neque Ioan: dicit, eos esse testes in cœlo, sed testari. Actum igitur non qualitatem exprimit. Deinde etiamsi testes in cœlo dixisset, non illicò consequeretur, esse purè divinos. Nam possunt aliqua testari in cœlo, aut testes esse in cœlo, neque tamen divini dici, uti sunt Cometæ, Lunæ Solisque eclipses, item Planetarum summorum certæ conjunctiones. Tùm, etiamsi admitteretur, testes esse, & esse divinos, nullo modo consequeretur, horum testium, naturam & substantiam esse divinam. Possunt enim ideo, quòd ea de quibus testantur, Deum authorem habent, vel idcirco, quòd ea divina sunt prorsus, quæ testimonio suo asserunt, testes divini dici. Nec verò collectio Smiglecii quicquam valet; Non ratione perhibiti testimonii, testes esse divinos; Ergo naturæ. Nam antecedens repugnat Ioanni, scribenti, hos tres testari in cœlo. Si testantur in cœlo, ratione ergo perhibiti testimonii cõsequeretur testes esse: ac testes ita divini dici possent, & deberent. Deinde testes dici non ratione perhibiti testimonii, involvit contradictionem. Etenim ratione testimonii, testis est, & extra testimonium testis esse nemo potest.

Testes ratione testimonii, testes dici.

Nec consequentia validior est. Nam ubi agitur de accidente, ibi de substantia non agi certum est. At ubi divinus testis dicitur, de accidente agi certi suppositi certum est, quare non de natura. Atque etiam in universum in testando veritas & fides spectatur, non testantis natura. Nec verò pluris est illud fulcrum exceptionis istius. Si ratione perhibiti testimonii dicerentur testes, tum plures essent in cœlo testes, uti Angeli. Nam Angelos in cœlo ea de re testari, quòd Iesus sit Christus, docent Smiglecius. Deinde ubi docuerit, multiplex

nobis

nobis exceptio emersura est; Primùm quòd Angeli pendeant a Dei Christique arbitrio, & ita cùm ipsi jussu Dei, vel Christi testentur, semper illud manebit verum, tres testari in cœlo Deinde cùm Deus, & Christus ipse, & divina illa virtus, quam Deus Pater per Christum in primam illam Apostolicam Ecclesiam divitem in modum visibili ratione effuderat, sæpissimè, & ferè semper, testata sit publicè, quòd Iesus sit Christus, & hoc Angeli rarissimè fecisse, & quidem privatim legantur, Ioanni ad asserendum rei propositæ fidem, ii in testimonium adhibendi fuerunt, quorum testimonium illis temporibus usitatissimum in Ecclesia fuit, non illorum, qui vix semel atque iterum, & id privatim, nec in cœlo sed in terris ea de re testati fuerant. At etiam Angelos testes, & eorum testimonium divinum dici posse negat? Ergo Dei legati, quales sæpe fuêre Angeli, in testibus Angelicis, aut humanis erunt habendi?

Affert deinde exceptionem quandam meam, quòd Evangelii vox & miracula essent testes divini; & respondet, me non assecutum esse vim argumenti sui. *Nec enim* inquit, *non quacunque ratione dicimus esse divinos, sed naturâ, & essentiâ:* At cum Smiglecius ex eo colligeret horum testium divinam illam substantiam, quòd divinos eos esse assereret; ex eo, etiamsi divini dicerentur, substantiam divinam non posse colligi, miraculis, & Evangelio ostendi. Quî igitur fit, ut directè argumentum quod non assecutus sum, oppugnarim?

Smiglecii petitio principii admodum crassa.

Quod verò hos testes divinos naturâ dicat Smiglecius, hoc ipsum petitio principii est, eaque crassissima, cujus repetitione adeò crebra, nihil agit aliud Smiglecius, quàm suæ causæ inopiam prodit. Tum verò argumentatur: *Si de participata divinitate res esset, plures essent testes in cœlo divini, cum etiam Angeli ob participatam divinitatem testes divini dici possint. Imò tres testes in terra, spiritus, aqua, sanguis, essent hoc sensu divini, quia divinitùs habent vim testificandi. Non igitur testes in cœlo intelligit Ioannes quocunque modo divinos, sed verè, id est naturâ divinos. Hoc autem admisso cum natura sit una numero, testes verò tres, consequens est, unam trium personarum naturam & essentiam.* At argumentum hoc, nihil ad quæstionem: Nec enim hîc de participata divinitate quæritur, ratione cujus vel plures, vel pauciores esse possent testes, verùm an ex his verbis Ioannis: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, colligi possint, tres personæ in una essentia divina. Smiglecius vellet id hinc colligi, at nihil solidi affert, unde id efficiat, ac ne potest quidē. Impossibile enim prorsus, id e verbis efficere, quod in illis nec expressum est, nec ullâ consequentiâ ex iis legitimâ

gitimâ deducitur. Nam cur in testimonium hos tres assumserit Ioannes, non assumserit Angelos, superiùs exposuimus.

Porro spiritus, aqua, sanguis, cur divini testes dici non debeant, cum eorum testimonii Deus anthor existat, & Ioannes etiam eorum testimonium, testimoninm Dei vocet, uti patebit inferiùs, causa nulla est. Ergo e superioribus nulla legitima consecutione poterit inferre, quod infert Smiglecius, illos testes, fuisse naturas divinas, id est naturam illam divinam, & substantiam habere, eò quòd dicti sint a Ioanne testimonium dare in cœlo.

Sententiã de tribus personis in una essentia, opinione tantùm nisi adversariorum

Vnde cordatus lector perspicit, quòd nihil Smiglecius præmiserit, ex quo consequatur, illos tres esse personas divinas, ac proinde ut antecedens in illius opinione, non in argumenti ulla vi, & robore fundatur, ita & consequens, trium personarum esse unam divinam essentiam & naturam, eandem balin habere.

Scribit ulterius: *Verùm instat Moscorovius, illa verba: testimonium Dei majus est, etiam de his in terra testibus accipienda esse, qui non essent illius naturæ divinæ*, & respondet, *instantiam hanc non solvere difficultatem. Nam in primis falsum assumit, testimonium Dei vocari, testium trium in terra, mox enim addit Ioannes: Hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo, est testis in cælo.* hæc ille. At primùm, non dixi, verba hæc: testimonium Dei, accipienda esse de testibus tribus, sed a Ioanne dici. Deinde etiamsi ad eum modum scripsissem, uti scribit Smiglecius, verissimè scripsissem. Etenim tota antecedentis apud Ioannem orationis, id ostendit series. Nam Ioannes postquam expositisset, quâ ratione tùm in cælo, tùm in terris Deus ea de re testatus esset; quòd Iesus, qui per aquam & sanguinem venit, sit ille Christus, ac Dei filius; ac testimoniorum numerum recensuisset, quę esse divina constabat, infert: *Si testimonium humanum accepimus, testimonium Dei majus est, quoniam hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo.* Vides igitur testimonium Dei, illa omnia quæ præcesserunt, vocari, vides hîc apertè Ioannem rationem addere, quoniam hoc esset testimonium Dei, quod de filio esset testatus Deus; nempe illa tam multiplici ratione, quæ ab eo exposita esset. Ergo perspicis, quòd, etiamsi illa verba, testimonium Dei, accipienda esse de tribus in terra testibus scripsissem, verè & ex mente Ioānis apostoli scripsissem, & Smiglecium sine ulla ratione, me falsum assumere, asseruisse.

Spiritus, aquæ, sanguinis testimonium, etiam Dei testimonium dici.

Sed pergit: *Verùm esto*, inquit, *utrisque testibus ea verba accommodentur, adhuc tamen testes in cælo, ideo in cælo dicuntur, quia testes sunt divini naturâ, ut deductum est, & opponuntur testibus in terra, qui etsi suo*

modo

modo divini possent dici, non tamen divini naturâ, uti in cælo testes. Etenim quia cælum est sedes Dei, secũdùm scripturas, ideò per cælum, tanquam sedem suam propriam, Deus quoad naturam suam, designari solet. hęc ille. At accõmodari debere, illa verba utrisque testibus docui; testes verò illos in cælo, eò dici, quia sunt naturâ divini, seu quòd divinam essentiam habeant, neque deduxit Smiglecius, uti patuit, nec deducere suis asseverationibus potiùs, quàm rationibus, unquam poterit. Ac etiamsi & istud concederetur, testes in terra non esse ita divinos, ut qui in cælo; cùm in testimoniis divinis possint esse gradus, & sint; ex majore tamen excellentia vel testimonii vel testium, veritatis divinæ argumenta sublimiora, deprehendi possent, & æstimari, at non testium, extra testimonium natura.

Per Cælum verò Deum, quoad naturam suam, designari solere, qui locus scripturæ docet? Sedem quidem Dei cælum agnoscunt scripturæ, at ubi per cælum Deum, quoad naturam suam, designant? Nam dum Deus habitare in cælis, esse in cælis dicitur, & aliqua de cælo facere, Deus ubi sit, scripturæ nobis indicant, & unde ipsius divina dona veniant, non autem per cælum Dei naturam definiunt. Quare quæ hinc infert Smiglecius: hoc modo testes in cælo dici divinos, & naturam divinam habere; & addit, quia, si aliter divini intelligantur, nullo modo, ut ait, salvari posse, tres tantùm esse testes in cælo; nec inferri e superioribus posse, & etiamsi Angeli in cælis sint, egregiè illud de tribus testib: in cælo consistere, superiùs docuimus. Dei sedem cælum esse.

Pergit: *Ait verò, & hi tres unum sunt, me exponere de testimonii unitate, non autem naturæ, & hoc idem exemplis aliis scripturæ demonstrare,* & respondet, *Non se ex modo loquẽdi absolutè, verùm ex materia subjecta, Ioannem agere de unitate naturæ, ostendere.* Rursus subjectam materiam ejus testimonii ostendit, ad eum modum: *Dicuntur hi tres testes in cælo, id est divini prorsus, quòad naturam, quæ cùm una sit numero, necesse est hos tres, non quomodocunque unum esse, sed naturâ, & propter unitatem naturæ, unum quoque testari, imò idcirco unum testari, quia naturâ unum sint: Quorum enim una natura est, una quoque scientia, & testificatio.* hæc ille. At subjecta materia hujus loci ex propositione Ioannis, patet, quæ est: *Hic est ille, qui per aquam & sanguinem venit, Iesus ille Christus;* & ex testium, quos ad eam rem probandam, tam illorum in cælo, quam horum in terra, Ioannes produxerit, testimonio. Ergo materia subjecta non est, de testium, extra testimonium, naturâ disputatio. Quod verò subjicit, hos tres testes in cælo divinos esse, quoad naturam, & propter unitatem naturæ, tres esse oportere

naturâ,& idcirco unum testari,quòd unum naturâ essent; assertiones nudæ sunt,uti jam patuit,non rationes,& crassissimæ principii petitiones. Nam ex eo quòd in cælo testentur, eorum naturam illam divinam non colligi, neque ex eo, quòd testes divini essent, licet excellentissimi,superiùs ostendimus. Natura verò illa divina, quid,rogo, ad testes,aut hi ad illam?& naturâ diversos,posse unum testari,& maximè unum testari, Dei ministri prophetæ, & Apostoli sunt documento. Quapropter iisdem inculcandis, repetendis, asserendis, nisi rationes afferat solidas,nunquam, quod vult, efficiet Smiglecius.

Scribendo pergit: *Adducit pro se Moscorovius codicem Hispanicum, quo Arias Montanus usus esset, in quo legitur; & hi tres in unum sunt. At quid unius codicis auctoritas contra cæterorum omnium fidem valere potest? Hac ratione de ipsis Evangeliis, eorumque multis partibus dubitare liceret,eò quòd à nonnullis de iis dubitatum sit. Neque ea admissa lectione, quicquam recepto a se sensui præjudicari. Etenim more Hebræo dici: Esto mihi in Deum protectorem: id est,esto Deus protector,&c. Quare hoc loco idem est esse in unum, & esse unum.* At cùm eum codicem produxerim,qui a Censoribus Ecclesiæ Romanæ, & ab ipsis Iesuitis,qui etiam huic negotio præfuêre,recognitus,& approbatus fuit;certè uni Smiglecio elevare fidem istius, ea in re, codicis, per ipsorum instituta non licuit. Quod Evangelia opponit, de iis, ac quibusdam earum partibus dubitatum fuisse,nihil adrem. Multùm enim distat dubitatio de toto opere, a varia loci lectione. Illa rem subruere molitur, hæc sæpè illustrat. Porrò sive in unum, ut codex ille habet, sive aliam lectionem sequâre, essentiæ unitatem, nunquam hinc exprimet Smiglecius, ubi de unitate testimonii agi,res ipsa ostendit, & universa Ioannis oratio.

At quòd *in unum*, & *unum*, si legatur; idem valiturum exemplis quibusdam docere vult,ea in re egregiè,vel fallit, vel fallitur.Exempla enim hæc disparia sunt. Dum enim Ioannes ait: hos tres in unum esse, eorum consensum mirè arctum exprimit;At is qui Deum,ut sit illi in Deum & protectorem optat, Deum invocat. Ita prior oratio, inter plures consensionem, posterior unius Dei potentiam, & beneficentiam respicit. at quid hoc ad illud?

Pergit:*Cùm verò instat Moscorovius,etiam de tribus testibus in terra, hoc est,de spiritu, aqua,& sanguine idem dici: & hi tres unum sunt,in primis aio, lectionem esse dubiam, cùm in plurimis exemplaribus non habeatur, & in quibus habetur, variatur. Nam in græcis legitur, & hi tres in unum sunt, in nonnullis verò latinis, & hi tres unum sunt. Ex lectione*

ergo

ergo tam dubia, non potest firmum contra nos colligi argumentum, maximè cum adversarii græcum præferant Latino. At, Smigleci, non argumentor ego, sed excipio. Quid igitur ex hac lectione scribis, non posse firmum contra vos duci argumentum? Deinde cedò, quæ exemplaria locum de tribus testibus in terra non habeant, cùm vetustissima quoque de testibus in cœlo, prorsus non habeant. Et cùm hoc opposuerim Smiglecio in appendicis refutatione, cur vel unum exemplar, quod de trib: testibus in terra non haberet, non produxit?

Scribit deinde: *Si per tres testes in terra intelligamus spiritum, quem Christus in cruce emisit, aquam & sanguinem, quem ex latere aperto effudit, ita ut hæc tria testimonia fuerint veræ humanæ Christi naturæ, sicut Patris, verbi, & spiritus fuerunt testimonia divinitatis in Christo, tum etiam hos testes in terra esse unum naturâ.* At si hæc expositio admittatur, hoc testimonium erit extra scopum Ioannis: Nec enim Ioanni fuit propositum humanam Christi naturam asserere; sed Iesum, qui venit per aquam & sanguinem, esse illum Christum demonstrare, uti patuit. Deinde ineptum erit, secundùm hanc expositionem. Quis enim tum dubitavit de humana Christi natura, quem omnes hominem videbant, cùm cruci affixus, animam efflaret? Postremò, nonné rectius de humana ipsius natura testari potuisset mors, quæ erat in oculis omnium, ipso spiritu, qui invisibilis omnibus erat, si illud testimonium necessarium fuisset? Latus porrò confixum, & quæ profluxêre aqua, & sanguis; mortis violentæ recens obitæ, fuerant argumentum potiùs, quàm humanæ naturæ, quæ cùm in omnium oculis esset, assertione nulla opus habuit. Hos verò tres testes, esse unius naturæ, ratione constitutionis illius, quæ extra quæstionem est, admitto; at non identitatis, de qua controversamur. Nam & anima, spiritus, & corpus in homine sunt unius naturæ, at tamen hi tres non sunt, una, eademque, quoad identitatem natura. Fallit igitur homonymia Smiglecius, in vocibus unius naturæ, quemadmodum hoc idem illi in refutatione Appendicis deductum fuit. Porrò divinitatis testes extitisse, Patrem, verbum & spiritum, cùm per divinitatem, naturam divinam intelligat, falsum est. Nam iidem ad testandum Iesum esse Christum, a Ioanne adhibentur, ut ex antecedente oratione illius patet. Non igitur ad asserendum, divinam Christi naturam.

Scopus Ioannis est, Iesum esse Christum, demõstrare.

Smiglecius homonymia, unius naturæ, imponere lectori conatur.

Affert aliam interpretationem, *Per aquam, aquæ baptismum, per sanguinem redemptionis sanguinem, per spiritum dona spiritus intelligens,* & de baptismo eadem regerit, quæ ad nauseam iteravit, & ait, *secundum hanc expositionem posse hos tres unum esse, quòd unum testarentur.* At

tur. At aqua baptismi, per se, nulla ratione testatur Iesum esse Christum; hîc autem aquæ tribuit tale testimonium Ioannes. Ergo hæc aqua non potest censeri, aqua baptismi, sed illa aqua & puritas vitæ, in Iesu Christo verè divina conspecta, testabatur per se, Iesum esse Christum: quemadmodum ipsius sanguis, quo hanc confessionem suam obsignavit; & illa mirabilia opera a Christo ante mortem edita, maximè verò, quæ spiritus virtute in Christi persona ostensa fuêre, dum a mortuis suscitatus, & a Deo exaltatus est, illa inquam verè, & necessariò, Iesum esse Christum demonstrârunt, atque subsecuta in nomine ipsius, & effusio spiritus S. & tot stupenda edita ab Apostolis opera.

Testimonia, quæ Iesum esse Christum, maximè asseruêre.

Porrò de testibus in cœlo id dici non posse, quod de testibus in terra, ob subjectam materiam, quod ait, nihil est, cùm subjecta materia id prorsus ut dicatur requirat, ut ex iis, quæ superiùs ad eam rem annotavimus, perspicuum est.

Recitat deinde, me illum locum ostendisse non esse in vetustissimis exemplaribus, etiam a multis patribus non esse citatum, sed prorsus omissum, quorum numerum annotavi, & respondet, primùm Athanasium falsò a me citari, cum is hoc loco utatur. At rectiùs feciſſet, si locum annotâsset, ubi is utatur hoc testimonio. Deinde scribit, ab Hieronymo verè scriptum esse, ab infidelibus translatoribus olim hæc verba omissa. At quæro, quo authore hæc scripserit Hieronymus? Nam sine auctoritate in historiis nemini credimus, nisi aurito, & oculato testi, maximè si quis ob præjudicatam opinionem suspectus sit. Cur verò Augustinus, qui Hieronymi ætatem attigit, & qui etiam cum Hieronymo literarum commercium habuit, eo loco abstinuisset, si eum e sacro codice, ab infidelibus interpretibus expunctum certò cognovisset, maximè cum locum de testibus in terris tribus, mirabili ratione torqueat ad Trinitatis dogma comprobandum?

Tertiò, *opponit Hyginum, Cyprianum, Athanasium, Idacium*: Esto verò, patres quidam, præsertim posteriores, eum locum citaverint: at longè plures, iique antiquiores non citaverunt. Vetustissima etiam, & correctissima exemplaria, quæ Collynæus, & alii ante multos annos secuti sunt, non habuerunt. Num igitur propterea is locus erit authenticus, & non potius controversus? Adde, quòd doctissimi viri, ob ipsa verba putârint, hunc versum esse ab aliquo sciolo insertum. Quid enim, inquiunt, testibus in cœlo opus est? Postremò, usum Catholicæ Ecclesiæ opponit, a qua nos accepisse alias etiam scripturas asserit.

At u-

At usus Ecclesiæ Romanæ, quod olim controversum fuit, controversum non esse, docere non potest. Ad hoc n. definiendum Ioannis auctoritate opus esset. Porrò ab Ecclesia Romana nos accepisse scripturas, cum ab historicis divinis & Apostolis scriptæ sint, falsum est. Eas verò conservatas fuisse, tàm a Græca, & aliis Christianis Ecclesiis, quibus, cum Romana nihil est commercii, imò ab universis Christianis gentibus, quàm a Romana, Christiana religio in tot populos sparsa testis est. Atque hæc de hoc testimonio annotavi, quæ alii ante me annotanda putavêre, iique Trinitarii, & tamen eo admisso trinitatem personarum, in una divinitate, ex eo colligi non posse ostendimus.

Ecclesia Romana nâ, quæ sunt controversa naturâ, ut talia non sint, efficere non potest.

Responsio ad subiectam Appendicem.

Huic libro subjecit appendicem quandam, in qua illud ostensum a se, me minimè probare potuisse, Christo donatam divinitatem esse, gloriatur.

Cum igitur ex locis Philip:2. Matth. 28. Ioan:5. colligi, Christo donatam divinitatem, scripsissem, & Smiglecius negasset, an ex iis testimoniis res deducatur, patebit cùm Smigleciana recitaverimus. Primùm igitur ait, ex loco ad Philip:2. me sic argumentari: Si donatum est (inquit Moscorovius) Christo nomen supra omne nomen, in eum finem, ut, Christus divino ab omnibus cultu afficeretur, hinc necessariò efficitur, donatam esse Christo divinitatem. Respondet, *hanc illationem non esse necessariam, sed prorsus ineptam. Ex donata nominis celebritate, non rectè concluditur res ipsa donata* &c. *Cum itaque hoc loco Paulus nihil aliud dicat, nisi nominis celebritatem, nempe ut is, qui propter passionem, & mortem humiliatus fuerit* &c. *post resurrectionem in toto mundo esset celebris, ut adoraretur, sequitur ex hoc loco, concludi non posse, donatam Christo divinitatem.* hæc ille. Verùm licet ex mea argumentatione Smiglecius omiserit, quod maximè eum pressit; nempe ipsius confessio; tamen argumentationem, etiam ut ab ipso proposita est, vindicandam prius ab ejus responsionibus, antequam candorem illius detegerem, putavi. Respondet igitur. Ex donata nominis celebritate, non rectè concludi rem ipsam donatam. Quid ita? Quia celebritas rei, a re distet.

Smiglecius omisit, quod eum maximè pressit.

At hac exceptione Smiglecii admissa, nempe donata Christo nominis celebritate, consequeretur, Christo, non esse donatum ipsum nomen Celebritas enim nominis, a nomine reipsa distat, secundùm ipsum Smiglecium. Paulus verò, clarissimè testatur, ipsum nomen supra omne nomen Christo donatum. Ergo Smiglecii exceptio, cum

o, cùm Pauli verbis contradicat, nullo prorsus modo admittenda est. Adde quòd celebritas nominis, quę universali genuum adoratione, & omnis linguæ confessione constat, quemadmodum ipse Smiglecius etiam agnoscit, (dum scribit: *cultus enim, & veneratio, publicaque professio nominis Christi, quid aliud est, quam nominis celebritas?*) consequens sit nominis supra omne nomen donati, uti ipse Paulus evidentissimè docet, dum ait: Donavit illi nomen, supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur &c. Ergo hæc nominis celebritas, cum finis sit, donati nominis supra omne nomen, efficitur necessariò, quòd non sit nomen ipsum, supra omne nomen Christo donatum. Finis enim, uti & causa efficiens, rei naturam non ingrediuntur.

Finem, uti & efficientem, rei naturam non ingredi.

At pergit Smiglecius demonstrare, primùm verbis Pauli, donatum esse Christo solam nominis celebritatem, idque ad eum modum: *Explicans enim*, inquit, *Paulus, quomodo sit donatum nomen supra omne nomen, solius celebritatis meminit, ut, inquit, in nomine Iesu omne genu flectatur* &c. At Paulus finem nominis supra omne nomen donati, verbis a Smiglecio citatis, & ipsius finis modum ostendit; quem universa genuum quorumvis flexione, & linguæ omnis confessione designat. Nec verò solius nominis celebritatis tantùm meminit, sed & causam istius celebritatis antecedentem, donatum nempe nomen &c. luculentissimè præponit. Nihil igitur in verbis Pauli apparet, quod Smiglecium ullo pacto juvet. Et qua ratione quidquam in verbis Pauli Smiglecium juvaret, cùm eum verbis Pauli contradicere, evidentissimè docuerimus?

Deinde ratione idem conatur ostendere. *Fuit*, inquit, *in Forma Dei & æqualis Deo, tàm ante humilitatem quàm exaltationem suam. Ergo habuit antea nomen supra omne nomen, ac proinde nomen supra omne nomen, celebritatem nominis designat.* At nego consequentiam. Etenim Paulus ei, qui fuit in Forma Dei, & æqualis Deo, donatũ esse nomen supra omne nomen scribit. Ergo eum, qui in Forma Dei fuisse, & æqualis Deo, a Paulo dicitur, istud nomen supra omne nomen, antequam illi donaretur, non habuisse, e verbis Pauli constat. Nam si habuit, non potuit illi ullo pacto, ulla ratione, ullo respectu donari. Quod verò nulli hominum, nulli Angelorum contigisse scribat, ut in Forma Dei esset, aut æqualis Deo, id quidem Christi excellentiam supra homines, & Angelos ostendit, non autem, ipsum habuisse nomen supra omne nomen, antequam illi donaretur, demonstrat. Quæ hîc etiam contra Smalcium de erroribus a se probata ait, ea

ita a

ita a Smalcio confutata sunt, ut eorum cur etiam meminerit Smiglecius, causam nullam habeat.

Postquam igitur ostendimus, & exceptionem Smiglecii, verbis Pauli contravenire, & ejus rationes quibus eam fulcire conatus est, nihil valere, argumentum nostrum urgeamus. Divinus cultus, divinitati tantùm debetur. Is enim divinitatem præsupponit necessariò. Christo divinum cultum, omne genu, & omnis lingua debet, ob donatum illi nomen supra omne nomen. Ergo nomine supra omne nomen, Christi designatur divinitas. At nomen supra omne nomen Christo donatum est: Ergo ipsa divinitas donata est, ac proinde Christo non est naturalis.

Firmato itaque nostro argumento, antequam ad summovendas exceptiones Smiglecii, quibus nostra oppugnare conatus est, descendamus, etiam candorem Smiglecii, quemadmodum polliciti sumus, detegamus. Cùm Filium Dei, non esse naturâ Deum sed dono Patris, inter alia, etiam hoc testimonio ad Philippenses ostendissem, in Appendice sua excepit Smiglecius: *Quod ad locum Philip: attinet, dicitur quidem Christo donatum nomen supra omne nomen (hoc est Dei nomen, quod solum est super omne nomen) at quomodo donatum est, num hoc nomen Christus ante non habuit?* Ex hac exceptione Smiglecii, ego argumentum confeceram: Si inquam Smigleci, agnoscis a Deo donatum Christo nomen, supra omne nomen; si agnoscis, id Dei esse nomen, quod Christo donatum est, &c. hinc efficitur necessariò, Christo donatam esse divinitatem. Vbi vides totum argumentum meum, ipsius Smiglecii verbis, & confessione niti; quod ille homo catus suppressit, & argumentum meum non ita expressit, sed aliter formavit, quod tamen nos etiam prout ipse posuit, abillius omni impetu vindicavimus, & asseruimus. En habes candorem D. Doctoris, en causam, cur meam consecutionem, non solùm non necessariam, verùm etiam ineptam censuerit.

Smiglecii candor detectus.

Superest ut illius exceptiones excutiamus. Scribit igitur: *Objicit Moscorovius, cùm nomen supra omne nomen in obedientiæ præmium Christo donatum sit, Christum illud ante consummationem non habuisse*, & respondet: *sed ineptit Moscorovius*. Animosè. Verùm cur ineptit Moscorovius? *Quia nos*, inquit, *fatemur, id esse Christo donatum propter obedientiam, quod ante non habuit, porrò celebritatem nominis in cælo & in terra antea non habuit*, &c. & subjicit: *inde verò non efficitur, illud nomen supra omne nomen non habuisse absolutè, sed solùm cum illa celebritate non habuisse.* At D. Doctor, Paulus scribit, propter obedientiam

donatum nomen supra omne nomen,& eo fine donatum,ut universè ab omnibus adoraretur. Ergo hoc nomen supra omne nomen,nõ habuit antequam obedientiam consummâsset. Celebritas nominis, quæ est adoratio;ejusmodi nominis supra omne nomen,est necessarium effectum, ut ante docuimus, quam adorationem cùm non habuisse Christum,ante obedientiam, in cælo & in terra agnoscit Dominus Doctor, & causam istius obedientiæ, non habuisse agnoscat necesse est. Præterea cùm celebritatem hanc nominis,in cælo Christum non habuisse agnoscat Smiglecius, nonné eâdem opera eum non esse illum Deum summum fatetur?Nec enim sine ea celebritate Deus ille summus in cælis, in universum unquam fuit ab intelligentibus naturis,ex quo eas condidit.

Pergit: *Iam verò cùm ait,esse in forma Dei æqualem Deo, non esse nomen supra omne nomen habere,in pari æquivocatione versatur. Aliud enim est nomen habere dignum,ut ab omnibus adoretur,aliud reipsa ab omnibus adorari. Et Christum semper habuisse dignissimum nomen summo honore,at post mortem effectum est, ut ab omnibus adoraretur.* hæc ille. At D.Doctor ad rem non respondet.Etenim non id in quæstione est, an Christus omni honore dignissimum nomen, etiam ante passionem habuerit;verùm an hæc verba:In forma Dei fuisse,& esse æqualem Deo, denotent illud nomen supra omne nomen. Non denotare ego hinc ostendi;quòd ei,quem in forma Dei fuisse,& esse æqualem Deo, Apostolus scripsit, donatum fuisse propter obedientiam,nomen supra omne nomen, scribat. Ad hoc erat respondendum, cùm id a me exceptum fuisset, ad Domini Doctoris assertionem; non exceptionis vis declinanda. Porrò hæc nebula istius æquivocationis, quam hîc offudit D.Doctor,discussa superius est.

At scribit: *Sed pergit nugari Moscorovi⁹.* Itané verò? Scilicet cũ D. Doctor ad compensandam humilitatem Christi,Deum potentia sua effecisse,ut reipsa gloria Christo tanquam Deo debita præstaretur asseruisset,& ego in Deum nec humiliationem,nec humiliationis prçmium cadere,opposuissem,cùm sit altissimus,ac exceptionem D.Doctoris,oppositione directè summovissem, nugari dicor?

Excipit, *nunc me pro meo acumine non intelligere, quid sit humiliari.* Cur verò? *id,*ait,*nõ esse dignitatem amittere,sed dignitate retenta non prodignitate tractari, ad eaque sese ultrò submittere. Hoc igitur modo Paulus dixit, Filium Dei humiliatum,* &c. At cur D. Doctor pro suo acumine ad rem non respondet? Vrgeo ego, in Deum non cadere ullo modo, ullo respectu humiliationem, cùm sit summus, & altissimus.

mus. D. Doctor quid sit humiliari, & quo pacto sit Christus humiliatus, explicat, quod nihil prorsus ad exceptionem meam, quę non humiliationis naturam, non modum humiliationis Christi, sed humiliationem in Deum, quocunque eam modo interpreteris, cadere perneget. Quare hîc acumen D. Doctor singulare promit, dum ad exceptionem nihil respondet, & aliud longè reponit. Exceptio igitur immota manet.

Smiglecii in respondendo acumen, illi usitatū.

Sed persistit in recitandis meis exceptionibus. *Si Christus fuit Deus altissimus, quid opus erat, ut Deus efficeret, quo honor, & gloria eidem à cælestibus naturis præstaretur?* Et respondet, *Sicut in natura humana se humiliavit ex obedientia & mandato Patris, ita opus erat, ut à Patre in compensationem tantæ obedientiæ acciperet, ut ab omnibus etiam cælestibus naturis sibi cultus & honor altissimo debitus exhiberetur? Nam & ille homo tantopere humiliatus, simul erat Deus altissimus*, &c. At hæc responsio obedientiam Christi hominis remunerandam fuisse, tali a patre præmio ostendit; verùm id non demonstrat, quemadmodum & reliqua, quæ multis verbis subjicit, quod urgeo, Christum, si Deus altissimus esset, non opus futurum fuisse, ut Deus efficeret, quò eum cælestes præsertim naturæ colerent. Etenim cælestes naturæ, quales sunt intelligentiæ, ex quo extitêre, semper id notissimum habuerunt; & qui Deus esset altissimus, & altissimum esse colendum. Porrò quæ addit, hominem illum fuisse Deum altissimum, pugnantia sunt. Nam si Christus homo naturâ fuit, Deum non fuisse naturâ altissimum perspicuum est; cùm hominis natura ab altissimi Dei natura tantùm distet, ut eas naturas in unum suppositum coire, prorsus sit impossibile. Quod præterea scribit, Christum sua divina potestate effecisse, ut is honor sibi ab omnibus impenderetur, eò quòd una sit Patris & Filii potestas, quod Ioannis 5. approbat, id prorsus ego ex illo antecedente, & firmamento ejus consequi pernego; cùm in firmamento antecedentis, expressè extet filio a Patre datum omne judicium, ut omnes honorificent filium, quemadmodum honorificant Patrem. Ergo data potestas ratione causæ, non est eadem prorsus cum naturali, quæ Patris potestas est; & cùm hæc a Patre data potestas, sit causa cultus Christo impensi, apparet Deum primam causam in solidum istius cultus esse. Admitti tamen potest, Christum etiam tantæ potestatis participem factum, effecisse, ut cultus ipsi ab omnibus naturis præstaretur.

Intelligentiæ, & quod Deus esset; & quod colendus esset; ab ipsa illarum creatione semper validissimum fuit.

Pergit: *At si Christus, inquit Mosorovius, fuit antea altissimus in*

seipso, exaltari nulla ratione propriè potuit, & respondet: *Ecce rursus*, inquit, *non intelligit quid sit exaltari, & in quo ratio exaltationis sit posita. Non enim dicimus filium exaltatum in seipso, ut major seipso fuerit factus.* hæc ille. At cur intelligens D. Doctor, tenebras offundit incauto lectori, argumenti vim declinando? Hoc ego urgeo, In altissimum in seipso, id est naturâ, non cadere exaltationem, cùm exaltari, & altissimum esse, prorsus repugnent. At Paulus exaltatum Christum a Deo, idque nimis, apertissimè scribit. Ergo Christus non est naturâ altissimus. Cùm igitur D. Doctor ostendit, quid sit exaltari, & quâ ratione Christum exaltatum intelligat, ad argumentum non respondet, cujus robur in eo, quòd exaltatio in altissimum non cadat ulla ratione. Nam quod opponit ex Psal: verba illa: Exaltare in virtute tua, toto cælo distant. Aliud enim est a Deo in precibus contendere, ut virtutem suam exaltet, id est exerat, & quàm potens sit ostendat, de quo Psalmus; aliud a Deo propter obedientiam ita exaltari, id est, ad summum evehi divini honoris gradum & fastigium, quemadmodum Apostolus de Christo scribit.

In altissimum nō cadere exaltationem.

Quod autem scribit: *propter exaltationem ejusmodi Christum altissimum non desiisse*, verba sunt nuda, quemadmodum sequentia. Comprobandum id erat solidis rationibus, Christum & altissimum esse naturâ, & ejusmodi exaltationem in altissimum naturâ, cadere potuisse.

Scribit ulterius. *Tandem ex forma Dei*, ait, *putat Moscorovius, & æqualitate cum Deo, colligi non posse, Christum fuisse altissimum, cùm is qui in forma Dei esse dicatur, referatur ad Deum, cujus formâ circumtulerit, & is qui æqualis est Deo, Deum, cui æqualis sit, præsupponat*, & respondet: *Nos contra dicimus, si ea forma, veri Dei forma fuit, Christus in forma Dei existens, non qualiscunque Dei, sed veri Dei formam habebat, ac proinde verus Deus erat.* At quid dicat Smiglecius cum suis dudum mihi notum est. Non igitur exponenda nobis opinio ipsius, sed summovenda exceptio mea fuerat. Nam illa, si ea forma Dei veri fuit, &c. non probant, formam istam, essentialem Dei formam fuisse, (conditio enim nihil ponit in esse, ut loquuntur) ex quibus tamen Smiglecius reliqua, tanquam ex firmamento certo deducit. Imò verò cùm forma nusquam in sacris literis, essentialem formam designet, ac neque ex hoc loco, ut designet, deduci possit, quâ ratione, hanc insolentem & insuetam formæ significationem huic loco attribuere poterit Smiglecius? Præterea cùm nusquam apud scriptores communiter, sed tantùm apud Philosophos forma pro essentiali

Formam, in communi sermone, nunquam essentialem formam notare.

forma

forma legatur, Apostolus cui vulgariter ad fideles scribendum fuit, quomodo Philosophicum terminum, tantùm a communi loquendi consuetudine diffitum, usurpasset? Sed ea de re alibi copiosiùs egimus, & ostendimus nullo modo, quod adversarii volunt, consistere posse. Imò nusquam, fortasse apud ullum scriptorem omnino, alicujus momenti, eam orationem, in forma esse alicujus, pro essentiali forma accipi invenias. Nec enim id res patitur. Nam cùm essentialis forma rei cujusque sit duntaxat unica, ut in essentiali forma alicujus aliquis dici possit esse, fieri prorsus non potest.

In essentiali forma alterius esse, impossibile prorsus est.

Pergit. *Neque enim*, ait Smiglecius, *in forma Dei esse, est divinam potestatem, quocunque modo sibi communicatam habere, alioqui Apostoli quoque in forma Dei fuissent, qui potestatem ministerialem, miracula faciendi divinitus habebant, sed est potestatem divinam, eo modo quo Deus habet habere, hoc est absolutam propriam sibi & naturalem.* At neque nos uspiam asserimus, eò in forma Dei Christum dici fuisse, quòd quomodocunque cum eo pater potestatem suam communicavit; sed quòd is & divinè in terris adhuc a multis adoratus fuerit, & potestate in se perpetuò manente, opera illa mirabilia, verbi nutu, tanquam Deus ediderit, eò in forma Dei eum fuisse, scriptum esse ab Apostolo; at in Apostolis, quid tale apparuerit, ostendat Smiglecius. Vnde planum est de iis, eos in forma Dei fuisse, scribi non potuisse, quanquam si quis Apostolos in Christi forma fuisse diceret, verissimè idem loqueretur. Vnde etiam inter alia quæ commemoravimus, quam firma sit adversariorum argumentatio deprehendi potest.

Pergit. *Vnde cum Moscorovius ait, cum qui in forma Dei fuit, referri ad Deum, cujus formam habet, si intelligat referri ad aliam personam, verum est; si tanquam ad alium Deum, falsum. Manente enim naturæ unitate, referri potest Filius ad Patrem, tanquam is, qui eandem formam habeat, ut pote qui a Patre Patris generatione, Patris ipsius naturam acceperit.* At primùm ista Dei, & personarum distinctio, controversa est. Deinde cùm ab Apostolo, non in Patris, sed in Dei forma fuisse Christus dicatur, apparet distinctioni isti, aliàs controversæ, nullum hîc esse locum. Neque hæc ratio. (Manente enim unitate naturæ, referri potest Filius ad Patrem, tanquam qui eandem formam habeat &c.) quicquam valet, cùm sit crassissima principii petitio. Imò verò si eandem naturam & formam habeat, quam Pater; tum filius ad Patrem nullo modo poterit referri, sed ad seipsum. Si enim utriusque erit natura una, eademque, Filius erit Pater, & Pater Filius, neque ullum inter hos, nisi nominale discrimen ostendi poterit, qui ipsissimus est

Qui eandem naturam Patris & filii volunt, eos nullo modo Sabellianismum vitare posse.

mus est Sabellianismus, quem nunquam isti, quicquid agant, vitabunt, qui eandem prorsus naturam Patris & Filii asseverant. Eam verò naturam accepisse generatione Filium, contradictionem involvit. Nam non accepta generatione natura, qualis est Patris, & accepta generatione natura, qualis est Filii, de eadem naturâ dici non possunt simul, nisi eadem natura accepta & non accepta simul esse statuatur, quæ est ipsissima contradictio.

Pergit Smiglecius: *Similiter dicimus, si Christus sit æqualis Deo, non infra Deum, nec minus quid Deo erit, sed idē quod Deus. Par enim altissimo, non nisi altissimo esse potest*, hæc ille. At ex eo quòd Christus dicitur æqualis Deo, non consequitur ullo modo, eum Deum eundem esse, cui æqualis sit. Nam identitate æqualitatem, æqualitate identitatem excludi; hinc manifestum est, quòd identitas sit unius prorsus; at æqualitas duorum vel plurium. Deinde quòd Christus dicatur æqualis Deo, ne hoc quidem consequitur per omnia æqualem esse. Nam qui ex aliqua parte Deo æqualis sit, potest Deo æqualis dici. Homo dicitur ad Dei similitudinem factus, ergo Deo similis, aut num per omnia Deo similis, quia ex parte similis est? Ac ne ex adversariorum quidem sententia consequitur, Christum per omnia æqualem esse. Nam cùm ipsi fateantur Patrem esse fontem & principium totius divinitatis, Filium autem non possint dicere, fontem esse, & principium totius divinitatis. Ergo Filius per omnia secundùm ipsos adversarios, non erit æqualis Patri. Præterea cùm Filius naturam humanam habeat, secundùm quam Patri obedivit, & Pater non habuerit naturam humanam juxta quam filio paruerit; efficitur ex adversariorum sententia, Filium per omnia non esse patri æqualem. Permulta alia possent in eam produci sententiam, etiam Patrum testimonia, sed hęc sufficiant. Quod verò subjicit, quod par altissimo non nisi altissimus esse possit, contradictionem involvunt. Si enim altissimus parem per omnia haberet, non esset absolutè altissimus.

Æqualitate excludi identitatē.

At amplius scribit: *Cùm subdit Moscorovius, eum qui æqualis Deo est, præsupponere Deum, cui æqualis sit*, & respondet: *De Deo qui pater est, id verissimum esse; at de Deo natura distincto me toto cœlo errare. Nam etiamsi* inquit, *unam, eandemque naturam habeat, quam pater, erit proculdubio æqualis Patri, siquidem habebit tantam perfectionem, quantam Pater.* At ego vocem (Deo) quæ est apud Apostolum, urgeo, non patri, quo ad controversam exceptionem opus haberet Smiglecius, ac proinde cum æqualis Deo sit Christus, Deum ab eo reipsa distinctum præsupponi. Rursus si unam, eandemque naturam cum Patre haberet Chri-

ret Christus, non potuisset Deo, sed sibi ipsi æqualis a Paulo dici. At Deo æqualis dicitur. Ergo unam & eandem naturam, cum Deo non potest dici habere. Tanta autem Filii quanta Patris perfectio divina, duas perfectiones divinas arguit, non unam, eandemque. Etenim comparatio inter duos aut plures cum instituatur, in uno eodemque locum non habet.

Perfectione filii, tanta quanta Patris est, duas perfectiones argui.

Sed pergit: *Si enim duo corpora, unam ac eandem quantitatem haberent (quod virtute divina fieri potest) verè essent, & dicerentur æqualia, quia tanta esset unius, quanta alterius quantitas. Quocirca nec ad æqualitatem Christi cum Deo requiritur, ut sit distincta divinitas. Ex quibus patet, quàm ineptè concludat Moscorovius, si Christus sit æqualis Deo, Deum ab ipso Christo esse distinctum, cùm eâdem divinâ naturâ in utroque manente, servatur utriusque æqualitas, maximè cùm nisi natura divina sit in utroque, Filius non poterit dici æqualis patri. Nam neque ratione naturæ inæqualis, dici potest filius æqualis Patri, neq; diversam naturam, æqualem Patri habere potest, cùm divina natura sit una.* hæc ille. At hæc suppositio Smiglecii, est vanissima. Nec duo corpora, unam eandemq; quantitatem habere, per naturam possunt, cùm id sit prorsus impossibile. Vt enim corpus unum, non potest per naturam duo corpora existere; ita nec duorum corporum quantitas, ullo modo potest esse una. Ac ne divina quidem virtus unquam hæc facit, quæ contradictoria sunt. Et si tanta unius, quanta alterius quantitas esset, ut scribit, tum non esset una eademq; illorum quantitas, verùm duæ per omnia sibi pares. Et cùm ex vanissima, & prorsus impossibili suppositione, ad æqualitatem Christi cum Deo, non requiri distinctam utriusque divinitatem inferat, me ineptè concludere ait, qui Christum ex eo, quòd Deo æqualis sit, eundem cui æqualis sit, Deum non esse ostendo. Quod autem subjungit: Vnâ, eâdemque naturâ divinâ in utroque manente servari utriusque æqualitatem &c: & controversa sunt, & seipsa evertunt. Nam in una eademque natura, non datur æqualitas. Nemo enim est sibi ipsi æqualis. Quod verò differit: ratione naturæ inæqualis, non posse dici æqualem Patri Filium, neque diversam naturam æqualem Patri habere posse, ea in re principium petit. Nam quod diversam naturam habet, potest Deo simile & æquale dici, id verò ad certam speciem similitudinis, & æqualitatis restringitur. Naturam quidem divinam unam esse, quod annectit Smiglecius, id ut verissimum, ita Smiglecio hac in parte maximè adversum. Nam in una, eademque natura nulla potest comparatio institui, ac proinde nec æqualitas.

In una natura nullum comparationi, ac proinde æqualitati locum esse.

Pergit:

Pergit. *Secundo loco probat Moscorovius donatam Christo divinitatem, ex donata Christo potestate divina* de qua Matth: 28. *dicitur: Data est mihi potestas omnis in cælo, & in terra* &c. & 1. Cor: 15. 27. *Omnia subjecta sunt ei, præter eum, qui subiecit ei omnia,* & respondet *de potestate creata, quæ in homine Christo residet, id admitti posse,* at ejusmodi potestate non posse divinitatem contineri, rationibus subjectis aliquot demonstrare conatur. Quarum prima est, quod creata sit. Et si autem datam non creatam literæ divinæ doceant, & dari res possit, quæ prius extiterit, at non nisi ea, quæ antea non fuerit, creari: Ne tamen ea de re, in qua non ita multum situm est, cum Smiglecio litigem, potestatem hanc, quæ in Christo homine residet, divinam esse, ut ut eam creatam vocet, ab effectis ostendo. Potestatem quæ in animas extendatur, esse divinam, Christus servator demonstrat; dum non metuendos homines, qui corpus duntaxat occidunt, sed eum, qui & corpus & animam possit in Gehenna perdere, docet.

Mat: 10. 28.

Christo homini tantam esse potestatem datam hinc liquet, quod ut omnia excepto Deo, ita etiam mors, nempe æterna, ejus sit subjecta pedibus, uti Apostolus docet expresse, & idem servator apud Ioannem ostendit. Quare Christo homini data potestas, est divina. Quemadmodum igitur ob potestatem verè regiam, si honor ei regius accedat, homo quivis est Rex; ita homo Christus, ob divinam potestatem cum divino honore conjunctam, verè Deus est, ac proinde potestate illa quæ nunquam ab honore divino sejungi potest, divinitas illius continetur.

1. Cor. 15. 26, 27. Ioan: 17. 2.

Quòd verò propter ejusmodi potestatem Christum adorari non posse hinc ostendat, quòd propter nullam perfectionem creatam quisquam pro Deo coli possit. *Hoc enim* ait, *esset creaturam pro Deo colere, & sine natura divina Deum verum agnoscere, atque adeò similitudinem cum Deo accidentariã, cum ejus essentia confundere,* non videt se adversus id pugnare, quod literis divinis testatissimum sit. Nã literæ divinæ Agnum illum qui fuit occisus, ab omnibus Dei cultoribus coli aperte testantur. Sic enim illæ: *Dignus est agnus, qui fuit occisus accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Et paulò post Deo in throno sedenti, & agno, honor omnis ab omnibus Dei cultoribus defertur in hunc modum: *Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum Amen.*

Apoc: 5. 12, & 13.

Nec rationes Smiglecii, ea in re ullum esse inconveniens, ostendere possunt. Etenim quemadmodum Regi adoratio civilis, propter

pter Regiam dignitatem, non autem propter ipsius naturam, debetur, eamq; omnes Regi, propter perfectionem hanc, a Deo illi concessam, exhibent; ita Christo, ob divinam dignitatem, quæ est ipsius perfectio illi a Deo concessa, divina adoratio prorsus debetur. Neque hîc creatura, cum creatore confunditur. Nam Christus, a Deo, a quo hanc divinam dignitatem, ob quam colendus est, accepit, apertissimè etiam in ipso cultu distinguitur, cùm omnis Christi cultus in Dei gloriam redundet. Neque Deus pro creatura agnoscitur. Etenim Christi divina dignitas, adorationis illius causa, tota in Deum, ut etiam ipsa adoratio refertur. Neque Deum agnoscere ob dignitatem, non tãtùm propter naturam, in divinis literis insolens est, cùm Christus ipse se Filium Dei, ac proinde Deum, propterea quod Deus eum sanctificaverit, & in mundum miserit, ac proinde, propter Patris factum, non autem propter naturam, apertissimè ostendat. Neque accidentaria similitudo, hîc cum essentia Dei confunditur. cùm quicquid maiestatis divinæ, ob quam Christo honor exhibetur, in Christo affulgeat, Deus illius author expressissimè ubique prædicetur. Quare nullum prorsus apparet hîc inconveniens.

Christum ob divinam dignitatem jure coli.

Ioan: 10. 36.

Secundam rationem affert. Propter dependentem potestatem, non posse quem pro Deo coli. Potestatem autem Christi esse dependentem. Majorem probat. Quòd Dei potestas sit principalis & summa. Respondeo ad majorem & ejus rationem. Propter potestatem dependentem, non posse quemquam coli, tamquam primum omnis potestatis authorem, admitto; at non posse propter potestatem divinam, licèt ea, ratione causæ a Deo dependeat, Christum coli, pernego. Nam si regia potestas, & aliorum qui supereminent, licet ratione causæ dependens sit, cultu tamen civili colitur, & colenda est; cur potestas Christi divina, licet ratione causæ dependens, divino cultu non afficiatur? Nec verò ea solùm similitudo id ostendit, verùm facto Dei cultorum, idem in superiore ratione docuimus. Ac præterea illo insigni testimonio Christi docemus: Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Vbi cultus divini causa, judicandi potestas data, apertè docetur, eam verò esse dependentem ratione causæ, hinc manifestissimum est, quòd a Patre data sit. Quid? nonné ipse etiam Dei Filius, secũdùm adversarios præternus ratione essentiæ, quam cum eo Pater communicavit, dependens est? Nam quod originem habet, quocumque modo origo illa accipiatur, ab eo a quo oritur, ratione originis suæ dependeat, neces-

Apocal: 5. 13.

Ioan. 5. 22. & 23.

Christũ jure coli, etiamsi ejus potestas, ratione causæ, sit dependens.

se est. Et tamen Filium Dei præternum, adversarii pro Deo colunt. Ergo agnoscat Smiglecius, hanc rationem, neminem propter dependentem potestatē, etiamsi divina sit, divino cultu posse adorari, rem quam vult non conficere.

Quod verò in orationis suæ de Christi potestate institutæ cursu, hanc potestatem in suo omni usu a Deo dependere scribit; idque tùm ex eo, quòd omnes caussæ secundæ concursu & influxu perpetuo primæ causæ opus habeant, tùm ex eo, quia a Deo ad nutum impediri potest: tum quia in eo usu Christus a Deo (ita Smiglecius loquitur) totus subordinatus est & subjectus, quod hinc ostendit, quòd in cælo, ubi potestatem hanc exercet, accedat ad Deum, & interpellet pro nobis, etiam docere conatur, expendendum est.

Quod igitur ad primam rationem, hanc in Christo locum non habere, verba Christi ostendunt: *Sicut*, inquit servator, *Pater vitam habet in semetipso, ita Filio dedit habere vitam in semetipso.* Ergo si Christus ita in semetipso vitam habet, quemadmodum Pater; eamque a Patre ad eum modum datam; apparet Christum, ut ratione vitæ, ita omnium quæ huic vitæ conjuncta sunt, in usu suo a Deo non dependêre, & ea in re, ab aliis caussis secundis, quemadmodum aliis in muneris prærogativis, exemptum esse.

Ioan: 5. 26

Christum ratione vitæ & ei conjunctorum non a Deo pendere.

Quod ad alteram rationem, non potestatis hîc divinæ amplitudo, sed Dei voluntas spectanda est; ratione cujus constat, eam ne a Deo quidem potestatem impediri posse. Iuravit enim Deus, nec pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.

Deniq; ad postremam: Si penderet in usu potestatis hujus a Deo Christus, tum patrem non judicare quemquam, sed omne judicium filio datum, non potuisset pronunciare. At posterius. Ergo non illud prius. Tum, quo pacto ejus pedibus subjecta omnia toties docuisset Apostolus, si a Deo in usu istius potestatis Christus penderet? At litteræ divinæ ajunt, eum interpellare pro nobis. Si ea oratio propriè accipi debet, omnia illa testimonia, quæ tot clarissima in divinis litteris extant, de amplitudine divinæ Christi potestatis, figuratè accipi oporteret. Quo admisso, quid divino Christi muneri, quid illius regio officio fieret? quo pacto idem Ecclesiam, cui in caput datus est, gubernaturus esset? Tum verò tot testimonia divinarum litterarum clarissima, ex uno atque altero loco obscuriore essent explicanda; cùm ex clarissimis locis, omnino de obscurioribus definiendum sit. Vt igitur hæc incommoda vitentur, statuendum prorsus est,

Chri-

Christum, cui omnis data sit potestas, & omnia illius pedibus, excepto Deo, subjecta, in usu suæ potestatis non pendere a Deo, & illa testimonia, quæ eum interpellare pro nobis docent, non usum illius potestatis, sed causam respicere. Tanta enim Christi potestas, nisi causam illius divinæ litteræ sæpius expressissent, occasio ejus erroris esse potuisset, quemadmodum permultis extitit, Christum illum esse unum Deum.

Interpellationis Christi pro nobis, quæ natura sit?

Tertiam rationem affert. *Quòd quantacunque sit Christi potestas, si sit a natura divina separata, conferre Christo talem divinitatem non potest, qua pro Deo colatur.* At hæc ratio, verbis est diversa, re eadem cum superioribus, nimirum propter potestatem divinam, nisi ea naturalis sit, Christum divino cultu coli non posse. Verùm cùm propter exaltationem & donatum Christo nomen supra omne nomen, Christum adorari ab omnibus terrestribus, cælestibus, & inferorum naturis, litteræ divinæ testentur: & cùm Christus eò mortuus sit, & resuscitatus sit, & revixerit, ut Apostolus ait, ut & vivis & mortuis dominetur; apparet Christum morte & exaltatione sua id consecutum; ut ab omnibus naturis adoretur, qui divinus cultus est. Colitur itaque divino cultu Christus & colendus est, non ob naturam, sed ob donatam dignitatem, potestati ipsius perpetuò conjunctam.

Phil: 2. 9, & 10.

Rom: 14. 9.

Causa Christi colendi legitima.

Scribit præterea, *potestatem, quæ sit longè potestate divina minor, Deum verum non constituere: ac proinde eundem honorem summæ & inferiori potestati non deberi. Porrò Christi hanc esse potestatem longè minorem ea quæ in Deo est, quo ad amplitudinem & in essentia, & usu dependentem esse. Denique cum dari ad nutum & auferri possit, multò inferior est potestate Dei naturali, quæ ait omnia a se in lib: 1. & 2. de erroribus Arianorum contra Smalcium deducta, hic rem obiter a se tantùm indicatam.* At hæc omnia reipsa idem sunt cum superioribus, nempe, propter eam potestatem, quæ non sit naturalis, neminem pro Deo coli posse: quæ cum apertissimis divinarum litterarum testimoniis contradicant, quæ ob datum omne Christo judicium, Christum ab omnibus, quemadmodum patrem, honore afficiendum ostendunt, quemadmodum supra docuimus, nullatenus possunt subsistere. Nec verò nos potestatem Christi Dei potentiæ ita æquamus, ut ratione causæ & amplitudinis illam statuamus parem. Expressè docemus; Dei Patris potestatem esse naturalem, Christi potestatem esse a Deo Patre datam; illam ad omnia extendi; hanc salute nostra & omnium quæ quoquo modo ad eam pertinent, tum etiam singulari eorum qui ipsius sunt, defensione, curâ, & auxilio definiri; verùm tan-

Discrimen Paternæ & filii potestatis.

tam potestatem, quoad effectum, esse divinam necesse est. Magna sunt opera Dei, creatio & conservatio rerum: At certè longè majus Dei opus est redemptio, & salus æterna. Hanc cum in manu Christi posuerit Deus, fieri nullo pacto potest, ut ejus potestas divina non sit, nec enim est humana nec angelica; divina igitur. Nam ad naturam spirituum nequam, hæc non pertingunt. Et cur Christus pro Deo non sit colendus, maximè cum nostra summa felicitas, & in hac vita & futura Christi potestate contineatur? Ac nisi divinæ literæ toties nos monerent, hanc potestatem Christo a Patre esse datam, tum ex hac potestatis Christi amplitudine, ipsum pro illo summo Deo facilè agnosceremus. Sed cùm divinæ litteræ fontem nobis istius Christi potestatis caussamque subinde ostendant, tum verò animos nostros in summam admirationem illius divinæ potestatis vertunt, quæ tanta sit, ut etiam Christo homini tantam potestatem, quæ divina sit prorsus, quoad effectum conferre potuerit, & contulerit; quæ nos in sempiternum beare possit. Nam ut Christi exaltatio, omnia Dei opera, longe antecellit, ita summum quoque divinæ potestatis ac proinde gloriæ est argumentum; & in Christo cum divinæ potestatis refulgere majestatem & amplitudinem demonstrat, ad eum honore divino afficiendum omnes invitat. De cujus potestatis dependentia, quoad usum & essentiam, actum est a nobis superiùs.

Christi potestatis divinę amplitudo.

Pergit scribendo, & ait: *Cùm ait Moscorovius potestatem, cui omnia præter Deum sunt subjecta, esse prorsus divinam, secum ipse pugnare videtur. nam cùm hæc potestas sit divinæ potestati subjecta, non potest divina dici, hoc est talis & tanta, quanta in Deo. Etenim potestatem Dei esse potestatem primi principii; at potestatem Christi potestatem esse secundi, ac proinde instrumentalem* &c. At nos apertissimè dicimus, potestatem Christi esse a Deo datam. quamobrem perspicuum est, nos potestatem Christi, potestatem primi principii non agnoscere. at eam propterea, quòd non sit tanta quanta in Deo est, nõ esse divinam pernegamus. Vt enim tanta, quanta est in Deo non sit, tamen effectu prorsus est divina. potestas enim Christi extenditur in animas nostras, quas servare & perdere potest, ut ante ostendimus; in quas nullius nisi Dei potestas extenditur. Ergo potestas Christi ratione effectus, prorsus est divina. At in his quæ vel minima ejus rei nota, e qua pateat me mihi adversari aut repugnare? Quod si Christus pro arbitrio & legis suæ tenore, potestatem in animas exerceat, potestas ipsius non est ministerialis, sed arbitraria; quemadmodum in absoluta dominandi ratione regis est.

Christi potestas arbitraria.

Subji-

Subjicit: *Neque refert, quòd Deus dicatur omnia præter se Christo subjecisse, id enim verificari potest, etiamsi Christo tamquam suo generali ministro & cætera omnia subjecerit; sicut rex potest omnem potestatem conferre proregi &c. se excepto, id est, sua jurisdictione salva.* hæc ille. At hoc ipsum, quòd Deus Christi pedibus omnia, excepto se, subjecerit, non ministerialis, sed absolutæ potestatis argumentū est. quam nisi Christus haberet, veritas dicti Apostolici, nullo modo constare posset. Quid est enim pedibus subjici, nisi subjecta in potestatem illius ita redigere, ut pro arbitratu quicquid velit, de subjectis statuere possit? nec proregis similitudo a Smiglecio allata, cui rex se excepto, id est, ut ille interpretatur, jurisdictione sua salva, omnia subjicit, cùm illam subjectionem ita limitet, ut a jurisdictione regis universa pendeat, huc quicquam facit. Deus enim omnia Christi pedibus sine limitatione subjecit. Ergo hîc magna inter Christum, & proregem hujusmodi, dissimilitudo. Deinde, quod Apostolus dicit, omnia a Deo Christo subjecta, excepto Deo ipso; non jurisdictionem Dei, sed personam excipit. Veritus enim, ne quis amplitudine illa potestatis Christo a Deo concessæ, quam describserat, Deum etiam comprehendi suspicaretur, in hæc verba erupit: *Quum autem dicat, quòd omnia pedibus* (ejus) *subjecta sunt; manifestum est,* inquit, *excepto eo, qui illi subjecit omnia.*

Pedibus subjici, quo sensu dicatur.

Pergit, & e superioribus infert: Ex potestate Christi subjecta & subordinata, non posse statui Christum verum Deum, sed veri Dei ministrum &c. esse autem Deum, est, esse cum summa in omnia potestate.

At si, Deum esse, est, esse cum summa in omnia potestate, & Christus sit, cum summa in omnia, excepto illo Deo uno, potestate; apparet e Smiglecii hac oratione, Christum esse Deum. Nec verò ex subordinata potestate, Christum non esse Deum doceri potest; cùm nihil aliud ex ista subordinatione effici possit, quàm quòd Christus, non sit ille Deus, cui subordinatus est. Etenim omnes reges illi supremo regi subordinati & subjecti sint, nec tamen ex hac subordinatione, eos non esse reges, ostendi potest: sed tantùm quod non sit quisquam illorum Rex ille, cui subordinati sunt.

Quid ex subordinatione consequatur.

Ad meam similitudinem; Quemadmodum qui regiam potestatem consecutus est, rex est; ita Christus divina in omnia potestate parta, Deus est; respondet: *eum regiam potestatem non consequi, qui habet potestatem in regnum, verùm non summam. regia enim potestas summa sit necesse est: ita cùm Moscorovius tribuit Christo potestatem divinam*

in omnia, sed non summam, sed potestati summæ subiectam & subordinatam, non potest affirmari propter talem potestatem Christum esse verum Deum. neque enim potest Deus esse sine summa potestate, neque potestas summa, nisi cum nulli est subiecta. At si hæc responsio Smiglecii simpliciter admittenda est, tum nullus rex in terris erit rex. nullius enim regis est summa per omnia potestas. Nam ratione causæ primæ, a Deo sunt reges omnes. Item, si primam regum originem spectes, a populo. Deinde, ratione potestatis, legibus reges, etiam absolutè regnantes, circumdantur, in eas regnum inituri jurant. Ergo nec ratione causæ, cui subordinantur, nec ratione regnandi, potestas eorum erit summa. Quid fietillis regibus, qui certis legibus creantur & constituuntur reges, & ex earum præscripto regnant? Hos certè regia dignitate, prorsus abdicaret Smiglecius. Perspicuum igitur est, regiam potestatem non ratione causæ, neque tanta potestatis amplitudine quæ prorsus summa sit; sed quæ supra unumquemque civium, etiam summum, emineat, & quę cum honore ac majestate regia sit, definiri.

Regia potestate quid contineatur

Consimili ratione Christus, ut verus rex est, quia in suo regno supra omnes eminet; ita verus Deus, cum potestate verè divina regno suo spirituali præsit, & illud divino modo gubernet, & tandem eodem modo ab omnibus hostibus, quicunque tandem sint, illud vindicaturus & asserturus sit. Sanè Deum non esse sine summa potestate agnosco, sed eum cui sint omnia, excepto Deo subjecta, etiam mors ipsa, carere potestate divina, negari non posse, hinc manifestū est, quòd mors æterna nulli, nisi divinæ potestati cedat. Cùm verò de potestate Christi absoluta agam, quis non videt, eam potestatem me absolutam ubique Christo tribuere, quæ in ea, quæ illi subjecta sunt, extendatur? Quam cùm absolutam eo sensu Smiglecius admittat, nihil erat cur mihi objiceret, a me illam ita absolutam statui, quasi Deo subordinata non esset, & uspiam me adversari mihi assereret, & homonymiam in explicata rei descriptione quæreret, quorum ne umbra quidem in meis uspiam appareat. Porrò Christum pendere a Patre in æterna vita conferenda ratione effectus, id non probabit Smiglecius. Testimonium enim quod e Matthæo citat: Sedere ad dexteram &c. non est meum dare vobis, a Christo in terris agente usurpatum est, antequam ea potestas, quæ solius tum Patris erat, Christo a Patre concessa fuisset; quam tùm demum, cùm excitatus a mortuis cœlo invectus esset, illi contigisse divinæ litteræ testantur. Quanquam ne hicquidem locus quicquam ejusmodi habet quod putat Smiglecius. Nec enim Christus hîc negat sibi esse potestatem, quæ

Æternam mortē nonnisi divinæ potestati cedere.

pete-

peterent præstandi, sed non esse suum illis dare, qui ambitiosè quid peterent. quod oppositio subsequens *(sed quibus est paratum a Patre meo,)* arguit.

At scribit, me non solvere metu Smiglecium & ejus socios, ne tot deos colant, quot sint, qui Dei divinitatem participatam habent, si Christus ob participatam divinitatem sit colendus. Nec enim Christi absolutam esse potestatem ait, nec eam divino modo a Christo exerceri, nec me docere e divinis litteris posse, eam Christo datam eo fine, ut divino cultu afficeretur, ex meo quidem sensu. Nam de increata potestate se admittere. hæc ille.

Primùm igitur, quod absolutam Christi potestatem non esse, ostensum a se ait, fallitur. ea enim, uti suprà toties docuimus, in ipsius regnum, est prorsus absoluta, nec enim in illius usu a quoquam impediri potest, Deus ipse non vult. Eò enim Christum collocavit a dextris suis, ut omnes inimici ejus fiant scabellum pedum ipsius. Præter Deum nemo potest; cùm omnia sub pedes ipsius Deus subjecerit. Atque ea ratione potestatem Christi esse absolutam, ipse etiam agnovit paullò ante Smiglecius.

Christi potestas in ipsi⁹ regno absoluta.

Deinde negat, eam a Christo divino modo exerceri. *Nam si modus*, inquit, *divinæ potestatis spectetur, is est absolutus, sine ulla subjectione ac dependentia, quem modum*, ait, *cùm Moscorovius Christo non concedat, quomodo audet affirmare, Christum divino modo suam potestatem exercere?* Porrò ait: *Si divinum modum in eo constituat, quòd sit divinæ potestati par, id quoque ex ipsius sententia falsum est: Cùm enim non concedat Christo potestatem, nisi subordinatam, qui potest eam parem divinæ potestati, quæ est potestas primi principii asserere?* hæc Smiglecius. At neque illud, quod potestas Christi ratione causæ dependens sit, neque hoc quòd divinæ potestati naturali non sit per omnia par, impedit, quò minùs Christus potestatem suam divino modo exerceat. Nam si Christus edat opera divina prorsus; eaque edat modo prorsus divino, eum potestatem suam divino modo exercere, negari non potest, Christus Stephano protomartyri pro nomine suo morienti, astitit morituro ad dexteram Dei conspectus. Christus Saulum cædes suorum spirantem, cælitus immisso fulgore, qui splendorem solis superaret, & magnitudine lucis excœcaret, a persequendis suis retraxit, & quod maximum est, spiritum acceptum a Patre dextera ipsius exaltatus, in illas fidelium primitias effudit. Num hæc non divina? aut non divino modo edita? Certè nec humano more, nec naturaliter, nec Angelicum in modum, edita illa fuêre.

Act: 7. 56. & 9. 3. & 2. 4.

A Christo potestatem divino modo exerceri.

Postre-

Postremò, *quod ait, me docere non posse e diuinis litteris*, Christo datam potestatem eo fine, ut ab omnibus divinè colatur, nisi de increata potestate intelligam; respondeo; increata potestas, quæ est naturalis Dei potestas, dari Christo non potuit. Primùm, quòd naturalia Deo, a Deo ipso dari non possint, cùm secundùm Smiglecium, quæ sunt naturalia Deo, sint Deus ipse. Vt verò a Deo produci alium Deum ipsi per omnia æqualem, prorsus est impossibile; ita communicare cum alio, quæ sunt Deo prorsus naturalia, omnino itidem est impossibile. Quamobrem cùm naturalis Dei potestas, cum Christo communicari non potuerit, relinquitur, ut Christus eam tantùm potestatem habeat, quam sibi omnem in cælo & terra datam ipse testetur. Quæ cùm ratione effectuum divina sit, & divino modo a Christo exerceatur, cur Christus pro Deo coli, ab iis omnibus in quos divina ejus potestas extendatur, & a qua potestate illi omnia bona & percipiant & expectent, non debeat, licet substantialiter Deus non sit, causa nulla est. quemadmodum nulla causa est, cur ob regiam dignitatem & potestatem Rex, etiamsi naturâ non sit Rex, pro rege coli non debeat, ut sæpius deductum est: Ac licet hoc fieri non posse Smiglecius asseveret, tamen cum rationem nullam afferat, quæ prorsus id vetet, vel impossibile ostendat, auctoritate sua sine ratione nihil proficiet.

Cùm verò inter Christum & proregem permagnum discrimen ostendissem, eo quòd Christus pro arbitrio regnum suum administret, quod prorex in omnibus facere non possit, respondet Smiglecius ad regiam potestatem, non esse satis potestatem pro arbitrio faciendi, sed requiri, ut sit summa & nulli alteri subjecta; quod exẽplo famuli, cui Dominus omnia permittat, & proregis cui rex in omnes potestatem concedat, in famulum tamen & proregem atque illis comissos sibi plena potestate servata, prolixè vult demonstrare.

At superiùs docuimus, illud subsistere non posse, regem non constituere nisi potestatem, quæ prorsus summa sit, cùm nullius regis prorsus, sit summa potestas, nec famulus qnem dominus omnibus suis præfecit, aut prorex, quem rex regno, aut illius parti præposuit, Christo conferri per omnia potest. nam dum in hos, & cuncta quæ administrant, & dominus, & rex sibi potestatem servent, apparet ex parte tantùm illis datam potestatem; at Christo plenissima in omnia est data potestas. Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio &c. Vnde apparet, illationem Smiglecii, quæ falso fundamento nititur, nimirum, requiri ad regem constituendum

endum, potestatem quæ summa sit, nihil efficere, & a nobis ob eam potestatem Christum, quæ divina est, & ratione operum ipsius absoluta, & divino modo ab eo exercetur, uti patuit, optimo jure debere pro Deo coli, ac Christo eam potestatem uti Deo convenire.

Ait deinde, frivolam hanc meam esse exceptionem, cùm ajo, Christi dependentem potestatem esse, ratione causæ, at non ratione usus; & respondet, *nos non advertere, eam potestatem non solùm in fieri a Deo pendentem esse, sed etiam quo ad totam suam rationem a Deo dependere in conservari, & esse ita Dei potestati subjectum, ut ad libitum ab eo posset auferri & restringi.* hæc ille. At hæc responsio Smiglecii, & confutata toties est, & nihil prorsus valet. Etenim Christi potestatem in conservari esse dependentem, unde docebit Smiglecius? Certè ad eum modum loquitur Apostolus; cum verò illi, nempe Christo, fuerint subjecta omnia, tum & Filius ipse subjicietur ei, qui subjecit illi omnia, ut Deus sit omnia in omnibus. Si igitur Christus tum subjiciendus est Deo, cùm illi subjecta actu & reipsa fuerint omnia, perspicuum est, ratione suæ potestatis, quò ad usum, Christum nunc a Deo, non dependere. 1. Cor: 15. 28.

Ad locum ad Hebræos, quo sua firmare vult, antea respondimus, neque hîc quicquam roboris est cùm scribit: Omnem rationem postulare, ut ea potestate, qua quis Deo subjicitur, Deus verus non dicatur. Nam non posse dici verum Deum, si per verum Deum summum illum intelligas, admitto: at non, si per verum Deum intelligas illum, qui accepta ab illo Deo summo potestate divina, verus Deus sit. Etenim cùm ex eo Christus, quòd Pater eum sanctificaverit, & in mundum miserit, se Dei Filium, ac proinde Deum, contra Iudæos asseruit, apparet eum Deum verum esse, Dei facto singulari & dono; ac proinde tanta potestate, quæ prorsus divina est, parta, longè magis eundem Deum verum censeri.

Illationem meam, quia Christus sit Sacerdos altissimi, non esse altissimum, non rectè inferri respondet; *ratione enim potestatis creatæ in humana natura residentis, qua sit sacerdos Dei altissimi non esse Deum, non autem sequitur alia ratione, & alterius naturæ respectu non esse Deum altissimum.* Egregiam responsionem. Hinc enim ego infero, quòd nec naturam divinam Christus habeat, neque porrò Deus altissimus sit. Ille enim Deus altissimus, nulla ratione, nullo respectu potest sacerdos Altissimi dici. meam verò oppositionem & ratiocinationem, exceptionem Smiglecii funditùs evertentem, illius repositione tantùm simplici, Smiglecius elusam voluit. Reliqua, quæ hîc

Deum altissimum Sacerdotem altissimi, nulla ratione dici posse.

repetit Smiglecius, superiùs a nobis refutata sunt.

Subjicit, me asseruisse, non posse e scripturis doceri, Christi potestatem divinam esse naturalem; & respondet se docuisse ex scripturis in Christo duplicem potestatem; alteram quâ Patre sit minor, alteram quâ sit æqualis Patri, ac omnia unà cũ Patre operetur, quam æqualitatem esse absolutam, in lib: 1. de Erroribus Arianorum & 2. ait a se nervosè probatum.

At quòd dicatur Christus Deo æqualis; & quòd Patre operante ipse unà operetur, non efficiunt potestatem Christi divinam esse naturalem. Ex eo enim quòd sit Christus æqualis Deo, evincitur non esse ejusdem cum Deo naturæ. nam æqualitas est inter duos vel plures. At natura Dei tantùm est una. Quod si Smiglecius excipiat æqualem esse Patri, ejusdem argumenti, idem robur manebit. Consequetur enim, nec esse ejusdem naturę cum patre, cùm patris etiam natura tantùm sit una. Ex socia verò operatione non consequi etiam identitatem naturæ, illud quod Apostolus de se & de aliis scriptum reliquit, Dei, inquit, cooperatores sumus, testatur; & Apostolorum omnium eadem, quod ad publicandum Evangelium attinet, operatio, diversa tamen natura.

Ex operationis societate, nõ extrui unam naturam. 2. Cor: 3. 9.

Scribit deinde, *me ineptißimè objicere, Christum, si habuit divinam potestatem naturâ, nullo modo eam Christo donari potuisse. Cùm id donari non possit, quod quis naturâ habeat.* & respondet; *Christo quatenus Deus est, nihil donari posse; at quatenus homo, tum illi a Deo donari potest.* At ex eo ipso, quòd Christo divina potestas donata sit, Christum non esse Deum naturâ evinco. Reponere, quod oppugnatur, est agnoscere te nihil prorsus, quod argumentationi opponas, reperire. Præterea ut Christo donari nihil possit, si Deus esset naturâ; ita nec humanæ illius naturæ, si divinæ esset unita. Etenim si natura divina humanæ unita fuisset, omnibus donis humanam naturam impletura fuisset. Si igitur Christus quatenus est suppositum, omnia a se habere potuit, ergo nihil illi a Patre donari potuisset, ac porrò neque donatum esset. At donata esse omnia a patre, divinæ litteræ testantur. Ergo manifestissimum, Christum non esse Deum naturâ, cujus est donare, at non donari; verbo donandi in nativo & proprio accepto sensu. Ac ejus quidem argumentationis vim poterit repellere Smiglecius cõsueto fastu & verbis, at non reipsa & ratione.

Christus si naturâ Deus fuisset, nihil illi potuisset donari.

Potestatem Christi, potestati Dei, quòad effecta, esse divinæ parem scripseram; & respondet, *hunc errorem primo libro de Erroribus a se refutatum.* Nam dicit, *& scripturæ de absoluta æqualitate loquuntur,*

& ut

& ut quis absolutè æqualis pronuncietur, æqualitatem quòad effectus non sufficere. At quæcunq; se de Erroribus Arianorum confutâsse scribit, ea a Smalcio sunt sufficientissimè propugnata; Scripturas verò de absoluta æqualitate Christi cum Deo non agere, hinc perspicuum est; quòd si Christus absolutè Deo æqualis esset, tum essent duo Dii sibi per omnia pares. At duobus altissimis positis, nequaquam esset unus altissimus, contra quàm scripturæ universæ, & ratio sana testantur. Porrò effectuum æqualitas, æqualitatem virtutis operatricis ostendere, nemo unquam negaverit. nec famuli cum domino collatio, diversum ostendit. Si enim idem faciat famulus, quod dominus, discipulus quod magister, ratione effectuum; ac proinde potestatis effectus illos edentis, poterunt dici æquales.

Quod verò scribit, *neminem posse dici Deo æqualem potestate, quod idem possit quod Deus, nisi ita possit ut Deus*, &c. *alioquin omnes causæ secundæ Deo possent dici æquales.* hæc refutata sunt superiùs. Nec verò ullum est inconveniens, si causæ secundæ, primæ æquales, ratione quorumdam effectuum dicantur. cùm Deus, Gladium Iehovæ & Gedeonis ipse proclamari voluerit; & Apostolus se & collegas, Dei cooperarios in aliena salute procuranda vocet.

Quod verò hinc nos omnem Christi cum Deo æqualitatem abnegare colligit, quòd Apostolus æqualem Deo Christum ante mortem vocet, nos verò amplissimam Christo nos servandi & spiritus S. donandi potestatem glorificato, concedamus, sine omni ratione id colligit D. Doctor. Etenim nos agnoscimus cum Apostolo, Christum ante mortem Deo æqualem fuisse, quòd residente in se potestate imperaret omnibus in terris, & divino ipsius verbo omnia obedirent, ac ipse passim adoraretur; at hanc æqualitatem divinæ potestatis adeptus est longè majorem, cùm exaltatione sui, consecutus est, ut vivis & mortuis dominaretur. Ante mortem igitur æqualitatem Christi cum Deo cùm agnoscamus, eandem verò post mortem cùm longè majorem e divinis litteris ostendamus, qua fronte Smiglecius, nos omnem Christi cum Deo æqualitatem abnegare audet asserere? Vnde apparet, illationem Smiglecii e superioribus nullam esse, Christum ob divinam potestatem illi a Deo donatam, Deum non esse; cùm divina potestas eum in quo sit, Deum constituat, quemadmodum regia, regem: & esse Deum, etiamsi naturâ Deus non sit, ab illo Deo, qui naturâ talis est, Iesum Christum, ex illius sanctificatione & in mundum missione, id est, e Dei patris facto, superiùs demonstravimus.

Christi æqualitas cum Deo, quæ ante mortem & quæ post mortem illius.

Tertiò testimonio, docueram Christo donatam divinitatem; ex donata judicandi a Patre potestate & illius fine, quod testimonium
Ioan:5. 22. ejusmodi est: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Respondet, & ait: *Non semel labitur in hac probatione Mosiorovius: primùm, quòd illam potestatem, propter quam honorificatur Filius &c. existimet esse creatam, in humana Christi naturâ residentem. Potestas enim creata numquam eum honorem mereri potest, quem meretur increata, nec potestas inferior eundem meretur honorem, quem potestas summa &c. Quamobrem si potestas judicandi in Christo est talis ac tanta, ut propter eam honorificetur sicut Pater, & æquè uti Pater habeat vitam in semetipso, ad omnes vivificandos, ejusmodi potestas non potest esse nisi increata & summa. Sicut enim Pater propter summam potestatem suam, & increatam honorificatur ut Deus; ita & Filius, si honorificatur ut Pater, summam quoque potestatem habere debet,* hæc ille. Summa est: Creata potestas non meretur cultum divinum. Hæc judicandi potestas a patre Christo data, meretur cultum divinum. Ergo non est creata, ac proinde Christo naturalis. Respondeo. Nego majorem, in qua robur omne. Toties enim superiùs ostendimus, potestatem Christo datam, cum amplissima dignitate, quæ est illius ad dexteram Dei in throno Dei confessio; divinum cultum mereri: & apertissimè ad
Heb:2 9. Hebræos scribi: Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria &
Apoc:5. 12, & 13. honore coronatum: atque eundem Christo, agno occiso, a cultoribus Dei impendi. Atque idem ex eodem testimonio etiam patebit, cùm illud discusserimus, & nostra ab exceptionibus Smiglecii vindicaverimus.

Ex pari honore Filii cum Patre, parem in utroque potestatem Smiglecius in Appendice priore collegerat; respondi, admitti posse parem utriusq; potestatem, quò ad exercēdæ illius rationem; at non quò ad causam. Ejus enim potestatis authorem esse Patrem & causam &c. Id ille evasionem inanem vocat, & falsissima, quæ attuli, pronunciat. Idque hac ratione ostensum a se putat: *quòd si de creata potestate Christi intelligam, quatenus ea ab eo exercetur, manifestam implicationem involvit. Nec enim potest par esse potestas superioris & inferioris, subditi & regis &c. nec pari ratione exercetur, uti a se dictum* ait. At enim cùm potestatem Christo a patre datam, ea ratione distinguam; primùm, quòd ratione usus & exercitii hanc potestatem Christi, divinæ patris potestati parem tantùm statuam; deinde quòd eam ratione causæ disparem ostendam, quæ est hîc vel minima contradicti-

onis

onis umbra? aut ubi hîc inferiorem superiori, potestatem per omnia parem, doceo? Non posse verò exerceri hanc potestatem pari cum Deo ratione, si paritas omnimoda statuatur, admitto. at non si paritas certo respectu limitetur. Etenim id superiùs, satis sufficienter ostendimus, ex eo quòd divinæ litteræ parem operandi rationem, & effecta divina, Deo & causis mediis, pari ratione attribuant. Quamobrem, nihil attulit Smiglecius, unde inanem meam evasionem, aut, quod attuleram, esse falsissimum appareret. At ipse Smiglecius quantopere statum quæstionis attendat, ut hîc ita alibi cordatus lector viderit.

Infert deinde Smiglecius quæ creberrimè repetiit: *Potestatem Christi esse imparem, non solùm quoad causam, quòd sit creata, Dei increata, & ex consequenti quoad cultum (non enim cum cultum meretur potestas creata, quem increata) sed etiam quoad modum exercendæ potestatis, cùm potestas creata non sit summa, nec ut increata exerceatur &c. Quocirca aut negare debet Moscorovius, ex pari honore Patris & Filii parem potestatem, & ex consequenti, probare ex hoc loco non poterit Christi divinitatem; aut si id non negat, non potest locum istum interpretari, de potestate Christi creata, sed necessariò de increata, quæ sola tantum cultum, quantus Deo debetur, promeretur.* hæc ille. At sæpissimè dictum est, hominis Christi potestatem non esse summam, non esse primi principii, ad Deum qui illius author est, relatam. At si referatur ad nos, est summa & divina, testimonium enim præsens ostendit: Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio. Ergo cùm omnes Filius judicet, quemadmodum antea judicavit Pater; efficitur, potestatem Filii, ratione usus, esse potestati Patris parem; atque cùm in eum finem data sit, ut honorificetur Filius sicut Pater, finis hic ostendit, Christum etiam cultu Deo statui parem; quemadmodum causa cultus dispar sit. Nec enim Pater idcirco colitur, quòd illi a Filio, aut ab ullo prorsus, omne judicium datum sit. Quare, quò ad præsens testimonium, ex honore pari, ratione exercitii & usus, potestas par colligi potest, at non omnimodè par. Id enim causa efficiens, & finis potestatis hujus, in hoc testimonio apertè expressa non admittunt. ac proinde ex hoc honore, qui patris est, ac filio ob datam potestatem debetur, rectissimè Filii divinitas infertur. Nec enim tantus honos, ulli quàm divinæ potestati debetur. Tantum verò abest, ut locum hunc de potestate naturali Deo, quam increatam Smiglecius vocat, interpretari ulla res cogat, ut etiam locus ipse nullo modo, id quod vult Smiglecius, admittat. Nam potestas hæc ejusmodi

Divinum honorẽ divinæ potestati deberi.

modi est, cujus usu sese quodammodo privavit, idque ad tempus Deus Pater. Sic enim locus præsens habet: *Pater non judicat quemquam* &c. At iis, quæ naturalia sunt Deo, ne ad momentum quidem sese privare potest ullo modo Deus, non minùs, quàm ne ad momentum quidem Deus esse potest desinere. Deinde, quòd potestas ea Filio idcirco collata sit, ut honorificetur sicut Pater: At naturalia Deo, propter finem ullum externum dari non possunt; cùm quicquid Deo naturale sit, omnem sufficientiam & perfectionem intra Deum habeat; eò enim ἀυτάρκης & summè perfectus est. Tertiò, quod judiciaria ista potestas nec semper in Deo fuerit, neq; futura sit, ut in Appendicis refutatione ostendimus, quæ res etiam animadversa fuit Tertulliano Doctori, uti ibidem notavimus. At naturalia semper in Deo fuerunt, sunt, & futura sunt.

Naturalib. Deum sese ne ad momẽtum quidem posse privare.

Pergit scribendo Smiglecius, *Alter lapsus Moscorovii est, quòd datam potestatem, donatam interpretetur; quasi quicquid datur donatum sit, at quæ a natura insita per generationem, ea non donata, sed innata censenda esse. Sic omnes perfectiones naturales dantur filio a patre per generationem: quantus enim quantus filius est, a patre est; non igitur rectè inferre potuit, ex eo quod sit data potestas, donatam fuisse, & sicut id inferre non potuit, ita neque donatam divinitatem.* hæc ille. At demonstrandum fuerat Smiglecio, omnes Dei perfectiones naturales a Deo per generationem Christo datas; deinde potestatem judiciariam esse etiam unam ex perfectionibus Dei naturalibus; cùm nos non esse, præsentis testimonii verbis docuerimus. Recitatio opinionis privatæ, ictum adversarii non repellit. At cùm locus hic ostendat, hanc Christi potestatem non esse naturalem Dei potestatem, uti patuit, certè donatam esse oportet, etiam secundùm significationes verbi dandi a Smiglecio expositas. Ac proinde cùm donata hæc sit potestas Christo homini, rectissimè infertur ex hoc loco, divinitatem Christo donatam.

At recitat mea Smiglecius; hanc Christo innatam potestatem non posse doceri: & respondet, *Nos ex hoc loco id ostendimus, in quo ex pari cultu par potestas Filii & patris indicatur. Par autem potestas ei quæ in Deo est potestati, creata esse non potest.* hæc ille. At ex pari cultu, omni modo parem potestatem colligi non posse, præsens testimonium demonstrat, quod authorem & causam patrem, istius in filio potestatis ostendit. Potestas quæ causam habet, qualis est filii, & quæ nullam causam habet, qualis est Patris; dispar est. Deinde, quæ ob certum finem dantur, qualis hæc est Christo data potestas, limi-

tantur,

tantur. At Dei Patris, non est limitata ulla ratione potestas. Quapropter ex hoc loco, non ostendit Smiglecius, potestatem Christo datam esse per omnia, excepto usu, Dei Patris potestati parem. Data verò innatis opponi, & scripturæ usu perpetuo, qui in talibus observandus est præcipuè; & communi loquendi consuetudine, a qua perrarò scripturæ recedunt; manifestum est. Quare cùm mihi hîc insciti am exprobret Smiglecius, quantopere ipse peritus sit usûs divinarum litterarum, ea re etiam ostendit: etsi hîc etiam datam potestatem pro donata accipi, evidentissimæ rationes a me allatæ evincunt.

At cùm instо: Deo non posse potestatem dari; respondet, frivolum esse. *Nam*, inquit, *sicut naturam divinam, ita & omnem naturæ divinæ potestatem dari per generationem æternam, nihil repugnat. neque hîc ab adversariis ullam contradictionem notari potuisse*, uti libro 1. de Christo ostensum ait. O responsum egregium; opponere adversario tuam nudam assertionem. Novit Smiglecius a me negari, istam naturam in filio divinam dari, ac proinde naturalem potestatem. Quid igitur hoc se tuetur? Deinde, omnipotentem naturâ ex se esse; & potestatem ab alio quocumque modo accipere, quî non involvit contradictionem? nam qui ab alio, quocumque modo potestatem accipit, omnipotens ex se non est; sin ex se omnipotens sit, non potest statui, potestatem ab alio accipere ullo modo. nec rem tam absurdam unquam demonstrabit Smiglecius. Ac superiorem esse ratione potestatis, qui eam confert, eo, qui eam accipit, necesse est, cùm in eo qui accipit, defectum; in eo qui dat, plenitudinem & abundantiam omnem præsupponi, sit necesse.

Omnipotentem ex se esse; & potestatem ab alio accipere prorsus pugnare.

Illa etiam, quæ de filio scribit, quòd quantus quantus sit, a Patre sit, illius sententiam, de Filii essentia evertit. Nam si Filius, quantus, quantus est, a Patre est: at Pater quantus, quantus est, non est a quoquam; nec enim ullum principium extra se agnoscit; efficitur necessariò, Filium non esse eundem Deum naturâ, qui Pater est.

Scribit ulterius: *Iam cùm urget illa verba, Dedit ei potestatem judicium facere, quia filius hominis est, non is sensus eorum verborum est, quia Christus solùm qua homo est, judicet. judicat enim pari cum Patre potestate*, &c. *Sed quòd eam per actus humanæ naturæ voluerit propter homines, humano more exerceri a Christo*, &c. *Quare, cùm instat Moscorovius, si ea potestas data est Christo quia filius hominis est, non igitur quia Deus est, ineptè instat. Vtrumque enim diversa ratione verum est. Nam quia potestas illi data par Patris potestati, idcirco sine divina dari non potuit*, &c. ali-

&c. *alioqui propter eam honorari non potuisset sicut Pater. Quia verò potestas data est etiam, ut humano modo exerceretur, ideo data est ei, quia filius hominis est.* hæc ille. In Monstris Smiglecius scripserat, sensum præsentis loci esse, ideo commissum esse a patre Christo judicium, quòd non solùm sit Deus, sed etiam homo. Excepi, explicationem loci hujus, verbis ipsius repugnare. Verba enim testimonii sunt: Dedit illi potestatem judicium facere, quia filius hominis est: Ergo ex loco præsenti, doceri non potest, idcirco judicium Christo commissum esse, quia sit non solùm Deus, sed & homo. nunc Smiglecius alium sensum loci affert; at illum priorem a se allatum non defendit. Hoc scilicet disputare est. At verò neque is sensus, quem nunc affert, quicquã valet. Nam si Christo homini potestas judicandi data est, quòd filius hominis est; certè Christus naturâ filius hominis judicat, nec quisquam alius. Iudicare verò Christum humano modo, nulla ratione ostendit Smiglecius. Christus judicat abditissimos cordis recessus, Christus animas perdit & servat, & variis pœnis etiam hîc afficit, cœlitus in contumaces plagas effundit, eaque facit potestate sibi a Deo collata. Quis talia humanorum judicum fecit unquam? aut quæ spirituum vis facere potest, excepto Deo solo? Quamobrem divino modo, non humano eam judicandi potestatem exercet Christus. Christo homini in extremo judicio etiam omnes hostes, qui nunc illi recalcitrant, etiam mors æterna, genua curvatura sunt. Ergo humano more judicium illud extremum obibit Christus?

Christum divino modo judicia exercere.

At quod mihi objicit, me ineptè instare, si data est hæc potestas Christo, quia filius hominis est, non igitur quia Deus est; quàm aptè ipse faciat, dum instare me longè aliter fingit, quàm ipse institerim, perpendat. Ego enim institi, verbis Ioannis sensui, quem illis alienum subjiciebat Smiglecius, oppositis; uti ante exposui, non simpliciter ad eum modum: Data est Christo potestas, quia filius hominis est; Ergo non quia Deus: Quamquã & is sensus, si verbis Ioannis insistas, prorsus ex illis manat. Nam quod scribit, utrumque verum esse, diversa ratione; & ex eo quia data sit Christo potestas, potestati Patris par, & nuturam datam esse colligit; ajo, eum non posse umquam e litteris divinis demonstrare, Deum naturalem suam potestatem Christo dedisse, quæ sit per omnia suæ par. Ratio præterea docet, id non posse fieri. Vt enim Deus unus non potest Deum sibi per omnia parem producere, ita nec potestatem naturalem ulli prorsus concedere, ut ante demonstratum est. Honorem parem concedere potest. nam in eo nulla contradictio; quemadmodum Rex potest alteri concedere hono-

honorem regio parem, qualem honorem Iosepho concesserat Pharao, & Cæsares Romanos iis sæpius concessisse legimus, quos in consortium Imperii assumebant: & quemadmodum reges Imperatoribus, in belli administratione eum honorem concedere solent, qui regio honori par est. Atque hinc etiam vides, uti ex aliis quæ attulimus, quàm malè ex pari honore, naturalem Christi potestatem colligat; etsi nos supra in quo par sit hæc potestas Christi & Dei, in quo dispar, ostenderimus.

Scribit præterea: *At*, inquit, *Moscorovius, Christum idcirco mortuum esse & resurrexisse, ut vivis ac mortuis dominetur*, Rom: 14. *Ex quo sequitur, morte suâ eam potestatem judicandi consecutum esse; atque adeò acquisitam non innatam judicandi potestatem habere.* & respondet, *Verùm nos jam ostendimus duplicem in Christo potestatem esse, & acquisitam & innatam*, &c. hæc ille. At neque ex loco præsenti illationem meam verè recitat; & hanc, quam affert exceptionem, e suis placitis depromit. nec enim umquam e litteris divinis istam duplicem Christi potestatem docebit. Nam de innata potestate Christi divinæ litteræ silent, de ea quæ illi data est potestas judicandi, quia filius hominis est, apertissimè agunt.

Pergit meis recitandis. *Si*, inquit, *judicandi potestas esset innata Christo*, sine causa fuisset Christo donata; Præterea, cùm donata potestate, omnia judicia Christus obeat, innata esset prorsus in eo otiosa; & respondet: *Nos*, inquit, *in natura divina innatam Christi potestatem collocamus; illam verò inferiorem humanæ Christi naturæ concedimus, eo fine, ut non solùm quà Deus, sed etiam quà homo judicium exercendi potestatem habeat* &c. *Neque si omnia judicia per donatam potestatem exerceantur, otiosa erit innata* &c. *Ad id enim maximè confert, ut summo jure ac dominio Christus judicet, sicut & Pater.* hæc ille. At Smiglecius dum sua recitat, ictum non repellit. Ego insto, si Christus naturalem divinam potestatem habet, non potuit illi, ulla potestas donari. primùm, quòd nemini donari possit, quod naturâ habeat. Deinde, quod potestas divina sit fons omnis potestatis, ac proinde natura divina unita humanæ, omnem suam cum illa potestatem communicâsset. Hoc igitur repellendum fuit Smiglecio & demonstrandum; donari posse aliquam potestatem ei, qui naturâ omnem potestatem habeat, non verò recitare, quòd potestatem innatam in divina natura collocet, quod eum facere, & mihi & aliis notissimum est. Deinde Smiglecius non potest distribuere, istas quas affert judicandi potestates, inter humanam & divinam naturam, cùm Christus tantùm ut homo judicet.

Act:10.42. & 17 31.

Extremum illud judicium, in quo summa Christi majestas apparebit, ut homo obiturus est, ut apertissimè scriptura testatur, & ipsi fatentur adversarii. Ergo & minora judicia, idem ut homo obeat necesse est; nec innata potestate obire Christum ullum vel minimum judicium, usquam divinæ litteræ docent. Est igitur hæc innata potestas, prorsus otiosa. Nam quod ait, eam ad id maximè conferre, ut summo jure ac dominatione Christus judicet, ut Pater, nihil est. Christus enim summo jure & potestate judicat; quòd judex mundi totius, & omnium Dominus a Deo Patre constitutus & definitus sit: quemadmodum judices terreni etiam summa potestate judicant, cùm supremi & ultimæ instantiæ judices a Republica, vel a Rege constituuntur. Ac si monarchæ Deus confert in ipsius monarchia absolutam potestatem, quæ ratio vetat, ut non possit eandem Christo homini conferre, in ipsius regni administratione? voluisse certè hoc Deum facere hinc apparet, quod eum ad dexteram suam & in throno suo collocârit. At quod Deus vult; potest; nisi contradictionem involvat, quod hîc nusquam apparet.

Christum nullum judicium ea potestate, quam innatam adversarii illi esse volunt, obire.

Act: 10. 42.

Scribit; *At urget Moscorovius, potestatem judicandi per æternam generationem dari non potuisse: eò quòd data præsupponat Christum illam potestatem nõ habuisse, antequam illi data fuisset.* & primùm hîc accusat meam ignorantiam, qui omnem potestatem datam præsupponere aliquod tempus, in quo data non fuerit, existimem; deinde respondet; *Hoc esse verum de donatione quæ fit in tempore, at non de ea, quæ fit ab æterno. Nam de hac censendum eam semper fuisse: & cùm Moscorovius loquitur, Christum illam potestatem antequam illi daretur, non habuisse, absurdè loquitur. in iis enim quæ sunt ab æterno, non datur Ante, nec nisi stultè quæritur, an aliquid ante æternitatem fuerit.* hæc ille. At quid facias Moscorovio, mi Domine Doctor, qui tam prudens & sciens esse nolit, ut cum ratione insaniat. Ais igitur D. Doctor, quod affert Moscorovius, verum esse de donatione, quæ, ut loqueris, fit in tempore; at non in æternitate, in qua excluditur omne Ante, nec enim, si haberet Ante, absoluta æternitas esset. At ego instо, in æternitate, locum dandæ potestati non esse. Nam datum, præsupponit Ante, nimirum, antequam datum sit. In æternitate non est Ante; ut ipse agnoscit Smiglecius: Ergo nihil ab æterno cuiquam datum est, nec dari potuit. Mitto, quod hîc etiam terminos mutet Smiglecius, quod illi familiare est, & substantiam cum actione confundat. Quamobrem necdum ostendit, meam ignorantiam, quam accusavit, neque me absurdè loqui; qui locum dandæ potestati in æternitate non esse, ex natura æternita-

Ab æterno nihil cuiquam dari potuit.

ternitatis ostendam. Nam quod scribit, stultum esse, quid ante æternitatem fuerit, quærere, hanc orationem referat ad eos, qui talia quærunt.

Scribit ulterius, *At instat Moscorovius, si semper ea fuit potestas, dari non potuit:* At, ut sæpe, ita hîc, non recitat nostra, ea qua par est, fide. Ego enim hæc ita proposui; Ab æterno genitus, semper potestatem omnem, quemadmodum pater habuit. Ergo ab æterno genito divina potestas, dari nulla ratione potuit. & cum aliter nostra, quàm a me scripta sint, proposuisset, jam me instituendum suscipit. *Verùm, inquit, discat Moscorovius, semper haberi, & tamen ab alio haberi non pugnare. Doceo id exemplo, tum ratione &c. Exemplo, si sol esset ab æterno, splendor procedens esset ab æterno. Ratione, quòd esse ab alio, & non esse nequaquam sunt opposita, sed subalterna. Ergo & semper esse, & ab alio semper esse, non erunt opposita: idem exemplo videntis & visionis inde procedentis declarat.* hæc ille. At Smigleci, omnis recta institutio a ratione certa, vel divina autoritate proficiscatur, necesse est. Videamus igitur, tua institutio qualis sit. Primùm vis hæc non pugnare, semper haberi, & ab alio haberi; vel, ut ego loquor, dari ab alio: At in eadem substantia & accidentibus ejusdem propriis, id locum habebit, non in suppositis diversis. Nam quod ab alio habetur, efficitur, illud antequam daretur, habitum non fuisse. Ergo non semper habitum fuit. Exemplum solis & splendoris, & visio videntis nihil ad rem, cùm hæc substantiarum, & accidentium earundem proprietorum, subministrent exempla, non diversorum suppositorum. Ratio quam affert, esse & ab alio esse, subalterna esse, non opposita. Ergo & esse semper, & ab alio esse semper, non esse opposita: in eadem substantia, & ejusdem accidentibus propriis, locum habebit; at non in diversis suppositis; ubi is qui est ab alio, non fuit antequam ab alio esset. Vnde hæc opponi in suppositis, ab alio esse, & semper esse liquet. Nec verò hæc ratione substantiæ & existentiæ pugnant. nec enim substantiarum est inter se pugnare. At si a se esse, & ab alio esse, in oppositis committas, pugnant prorsus. Nam quod a se est, causa caret; at quod est ab alio, causam habet. Causam verò non habere, & causam habere, quis pugnare non videt? Nam & re, & ratione dissentiunt; & ita opponuntur, ut eidem, secundùm idem, & eodem tempore attribui non possint. Reliqua quæ hîc affert, non dari nisi quod ante non habebatur, verum esse in tempore, non verò cum datur ab æterno; nugæ sunt, quas paulò antè discussimus. Quæ enim ratio id evincit, datum in tempore, quod ante non habebatur, verum

Smiglecii in recitandis adversarii sententiis fides.

Causa carere, & Causam habere, omnino pugnare.

rum esse; at non in æternitate? Auctoritas non est tanti apud nos Domini Doctoris, ut ista sine ratione, aut testimonio divino admittamus. Verum enim semper, & ubique verum est.

Scribit deinde: *Ad quem etiam modum solvitur illud sophisma Arianorum, cum ajunt: Quod est ab æterno non habet principium; quod verò non habet principium, non potest generari, cum generatio semper sit ab aliquo principio generante. Non est igitur possibile esse generationem æternam:* & respondet, *in hoc sophismate esse æquivocationem in voce principii. Nam aliud esse principium durationis, quod æternitati repugnat, aliud originis, quod æternitati non repugnat. Nam quod est ab æterno, non potest habere principium durationis, si quidem semper fuit,* &c. *habere tamen potest principium originis, a quo generetur & producatur, cum esse semper, & ab alio esse, non sint pugnantia, ut ostensum est. Similiter generatio requirit principium originis, quod est principium generans, at non durationis, cùm sine eo esse possit.* Tum explicat hæc, *Principium originis esse principium generans, & quasi causſam efficientem generationis: principium verò durationis, esse primum instans & momentum durationis rei. Et cum hæc, ut ait, distinguere nesciamus, mirum nihil est, si insigniter erremus.* hæc ille. Vndecumque sumpserit hoc argumentum Smiglecius, tale tamen est, quod loco ne moverit quidem. Nam argumentum præsens, de principio generante, quod originis Smiglecius vocat, agit; a quo cum generationem esse oporteat; concludit, in æternitate nullum esse generationi locum. Smiglecius dum principium, esse duplex respondet, primùm hanc principii distinctionem sine causſa affert, cùm argumentum de principio in genere & confusè non agat, sed distinctè, nimirum de principio generante, quod Smiglecio originis est: deinde dum principium originis non repugnare æternitati nudè asserit, nihil affert, quod vim rationis infringat, urgentis, generationem in æternitate non dari, quòd a principio generante hanc esse oporteat: ac si diceret, quod generatio ejusmodi præsupponat Ante, cui nullus in æternitate locus. Porrò, quod a se ostensum ait, esse semper, & ab alio esse, non esse pugnantia, superiùs discussa sunt. Quamobrem nec argumentum a se allatum dissolvit Smiglecius, sed distinctione principii non necessaria, elusum tantùm voluit; & tamen eò nos errare insigniter scripsit, quia scilicet hæc distinguere nesciamus, quæ sine ulla prorsus causſa attulit; & quæ falsa etiam sunt. Nam durationem æternitati repugnare, falsissimum est; cum æternitas nihil aliud sit, quàm duratio perpetua & infinita, ut fine, ita principio carens. Hæc enim ex natura entis æterni æsti-

Argumentum, quod ipse Smiglecius attulit, dissolvere non potuit.

Æternitatis natura.

ni æstimanda est; quod cùm ab æterno semper duraverit, efficitur æternam etiam, a parte ante, durationem dari. Non igitur alio fine argumentum hoc attulit Smiglecius, quàm ut ostenderet, a se illud dissolvi non potuisse.

Scribit ulterius Smiglecius: *Similiter illa altera Moscorovii argumentatio, non minùs inepta censeri debet, qua probare contendit, generationem ab æterno esse impossibilem.* Quod, inquit, ab omni æternitate suum esse habet, non est opus ut illud generatione acquirat; *Id enim futile est. Nam si ab omni æternitate ex se habeat suum esse, id proculdubio non haberet opus, ut illud per generationem acquirat. At si habeat esse suum ab æterno quidem, verùm non ex se, sed tanquam ab alio profectum, id sanè non aliter est ab æterno, nisi quia ab alio existit ab æterno, ac proinde per generationem est ab æterno.* At Smiglecius nihil respondet: Insto, Ei qui suum esse habuit ab omni æternitate, nullo modo acquirendum fuisse generatione. Ratio est, quia illud esse, numquam non habuit. Smiglecius, dum ei, qui ex se suũ esse habeat, id non esse necesse, agnoscit; vim rationis eatenus admittit; dum eum, qui habeat esse non ex se, sed tanquam ab alio profectum, ab æterno propterea generatum esse contendit, quòd existat ab alio, quod rationis vi opponeret nihil habuit. Ex eo enim, id in suppositis, quod ab alio existat, arguitur ab æterno esse non posse.

Scribit ulterius: *Pergit Moscorovius. In Deo generatio activa & passiva dari non potest, quin detur compositio. At id falsò & sine probatione Moscorovius assumit.* hæc ille. At Smiglecius ambiguè verbo *assumit*, usus est. nam aut propositioni falsitatem hanc objicit, aut assumptioni. Si propositioni, ea evidens est. Nam activa & passiva potentia, cum qualitatibus pugnent, prorsus opponuntur. Præterea activa potentia, est formæ, aut quod instar formæ est; passiva verò materiæ, aut quod, instar materiæ est. Ergo ubi datur activa & passiva potentia, datur compositio. Quod ad assumptionem attinet, ex eorum dogmate est manifestissima. Nam Patri tribuunt generare; filio generari, &c. Ergo & propositione & assumptione probatis, verissima conclusio.

Scribit: *Oppositum demonstratur à Theologis. Nempe generationem activam & passivam, nullam compositionem efficere posse. nam neq; quatenus ad se referuntur (sic enim sunt opposita) neque quatenus ad essentiam pertinent (sic enim idem sunt cum essentia) ita ut in priori consideratione oppositio, compositionem impediat; in posteriore, identitas cum essentia non admittat.* At hæc si opponuntur ad se relata, opinione

Doctorum, hæc oppositio arguit, in Deo poni ab iis oppositа: ac proinde ex oppositis componi Deum, secundùm eorum sententiam necesse est. Nec verò ea, quæ sunt oppositа ad se relata, possunt cum substantia Dei esse idem. Cùm in simplicissima Dei essentia, oppositа, nullum prorsus locum habeant. Oppositio verò tantum abest, ut cõpositionem impediat, ut etiam, ubicunque eadem statuatur in una substantia, eam prorsus arguat.

Pergit Smiglecius & ait: *Tandem in hunc modũ argumentatur Moscorovius. Aut generatio filii ad suum finem pervenit, aut nõ; Si pervenit, Deus ex generante, factus est non generans, atq; adeò mutatus est. Si non pervenit. Ergo Filius Dei nondum natus est, contra quàm sacræ litteræ testantur,* ad quæ respondet: *generationem divinam & perfectam esse, & numquam desinere. perfecta est, quia est cũ suo termino perfecto: numquam desinit quia æterna est, æternum enim semper est.* hæc ille. At hæc responsio contradictionem involvit. Nam natum esse, & non desinere nasci, est natum esse, & non natum esse simul. quamobrem eó ipso repudianda prorsus est. Et si Filius semper e Patre nascitur, Patrem ex eorum sententia incarnari cum Filio oportuit, necessariò; nec non spiritum sanctum, & sic virginem Mariam, trinitatem enixam esse, necesse est. Et naturæ humanæ unito Filio, Patrem quoque unitum oportebit, si quidem adhuc ex patre nascetur Filius. Vide, quid sit extra sacras litteras sapere? Et quia nobis talia e placitis quorundam obtruduntur, idcirco acceptanda sunt? Exempla ignis & videntis nihil ad rem. Sunt enim supra modum dissimilia, accidentia enim a substantiis quibus inhærent naturâ differunt; nec unquam solidè docebunt, Filium Dei natum esse, qui adhuc nascatur. Ac si in rebus creatis id nullo modo fieri potest: quomodo in Deo omnis perfectionis authore, quod contradictionem involvit, fieret? Ac licet hîc multa verba profundat Smiglecius, numquam hoc docebit, ut Filius natus, nascatur amplius.

Nasci & natum esse prorsus pugnare.

Sed ait, *mihi hæc difficilia videri.* At scribere debuit impossibilia, cùm contradictionem involvant, uti ostendi. Generationem verò in divinis ab omnibus imperfectionibus rerum creatarũ abesse nos hîc docet; at quo fine? cùm nos generationẽ illam divinam prorsus non admittamus; & eam ex essentia Dei prorsus impossibilem ostendamus; ac præterea imperfectionem summam arguere censeamus. Nam in summa perfectione, locum nullum esse essentiali generationi, vel hoc ostendit, quòd neque Angeli generent, neque fideles in futura vita generaturi sunt.

Generatio, imperfectionis argumentum.

Scribit

Scribit & pergit. *Plures quoque rationes jactat se habere Moscorovius, contra æternam Filii Dei generationem: at ex iis quas protulit, quàm futiles, sophisticæ, atque ignorantia plenæ eæ sunt, quæque solùm rudibus & ignaris tenebras offundere possunt, non sapientibus atq; doctis, conjicere licet; & cùm ad eas a nostris toties responsum abundè sit, qui homines istos non pudet ea in medium proferre, solutionibus non refutatis?* At ex responsionibus Smiglecii, quivis animadvertere potest, Smiglecium & similes, nihil nostris rationibus opponere, præter fastum, contemptum, & sua placita; rarissimè verò, quod directè exceptiones nostras, aut argumentationes petat; & nos nihil prorsus insolutum ab eo allatum omittere. Vnde res prorsus mira est, cum hæc scribere nihil erubescere, solutiones ipsorum a nobis non refutari. Hoc enim, illi perpetuò ipsi faciunt. Conferant lectores nostra & illorum scripta, & veritatem manibus palpabunt; sed eò talia scribunt, quia legendis nostris interdicunt suis, eaque venum proponi vetant pœnis venditores multant, sua verò omnibus passim obtrudunt.

Scribit & ait. *Asserit postremò Moscorovius, si concedatur potestatem Filio a Patre datam, quocumque tandem modo, illud necessariò consequi, Filium a Patre naturâ diversum. Cùm datus & accipiens numquam possit esse unus idemque naturâ;* & respondet; *Eum qui dat, & qui accipit, personis esse debere diversos, non naturis: Cujus ea ratio etiam redditur a nobis, quòd is qui dat, suammet naturam dare potest* &c. *sicuti nos ex scriptura de Filio Dei credimus, cui a Patre datum est, ut sit unum naturâ cum Patre. Quod si hoc ipsum dari potest alteri, ut alter sit unum naturâ cum ipso, inde perspicitur, necessarium non esse dantem & accipientem naturis esse diversos* &c. *Nec id ulla verisimili ratione ab adversariis convelli potest; nisi illo stulto principio, quo pronunciant inter naturam & personam nullum esse discrimen. Cujus principii falsitatem in lib: 1. de erroribus Arianorum ad finem pluribus demonstravimus.* At dans & accipiens relata sunt, quæ in contrariorum genere numerantur. Ergo cùm contrario modo opponantur, etiam naturis dissideant oportet. Dissident enim non solũ ratione sed & re. Ergo naturâ. Deinde suam naturam dare alteri posse; si de natura simili intelligat Smiglecius, verum est; sin de eadem, prorsus falsum. Nec enim quisquam suam naturam qua est, alteri dare potest. Nam id est prorsus impossibile. at similem potest dare Filio Pater, quem procreat; suâ tamen naturâ, quò ad is existit, semper manente. Nec ex scripturis ostendet umquam Smiglecius, quod scribit, se cum scripturis credere, a Patre Christo datam naturam divinam, & id adeò verum est, ut ullis artibus

Deum naturam suam dare non posse.

bus numquam convelli possit, ac si Deus ille unus suam naturam dare alteri posset, non esset Deus unus, ac proinde nec summus, nec perfectissimus.

At quod dicit, falsum illud principium esse inter personam & naturam, nullum esse discrimen, fallitur vehementer. In Deo enim cùm natura sit, substantia prima intelligens, & ea sit persona, nemo verum discrimen inter personam & naturam in Deo ostenderit; & quod id a se falsum ostensum ait, perlegat quæ Smalcius ad ea accuratè respondit, & gloriari, a se illa falsa ostensa, desinet.

Tandem infert, me divinitatem Christo donatam probare non potuisse. *Nam neque ex donatione nominis supra omne nomen, neque ex data potestate omni in cælo & in terra, neque ex judicandi potestate amplissima Christo concessa, id me inferre potuisse.* At enim cum ob donatum Christo nomen supra omne nomen, omne genu Christum adorare teneatur, ex divino hoc cultu donatam Christo divinitatem; cùm divinus cultus tantùm divinitati debeatur; & cùm ex potestate omni in cælo & in terra Christo donata, divinam hanc potestatem esse docuerimus; si quidem nulla alia potestas, nisi divina, tam altè & latè extendatur; & cum judicandi potestatem, eo fine Christo datam, ut omnes eum honorificent, sicut honorificant Patrem; qui cultus Filii, paterno similiter divinus sit; ex divina potestate & authoritate judicandi summa, & consequente eam cultu divino, illi datis, donatam divinitatem rectissimè & necessariò, uti patuit, intulimus. Vnde liquet, nihil nos sine scripturæ testimonio, in præjudicium Christi affirmasse, sed e scripturis veram Christi divinitatem, & genuinum ipsius honorem, a fucato asseruisse & vindicasse. Cui etiam, quòd vires in attenuata valetudine mea ad eam rem mihi subministrarit, & in perpetuis meis occupationibus, horas succisivas submiserit, ad hanc responsionem conficiendam, sit laus, honor, & gloria, unà cum Deo ipsius Patre benignissimo, in sempiternum. Amen.

Ad finem addit: ait Moscorovius, per contumeliam se a me Ministrum Arianum vocatum; quod munus si ipsi contigisset, illud summo honori habiturum fuisse: & respondet: *Quis contumeliam reputet, si ratione ejus, quod quis exercet muneris, nomen ei imponatur? Quod verò munus Ministrum magis indicat, quàm quod tot annis Racoviæ Moscorovius exercuit, quâ libris scriptis, quâ concionibus, quâ cætera Synagogæ Racovienſis cura? quid enim plus a Ministris præstari potuit &c. Fingit igitur Moscorovius in nomine contumeliam, quæ illi ratione muneris omni jure competit.* Egregiè sanè argumentaris Smigleci; dum me e conci-

concionibus Racoviæ habitis, e scriptis a me editis, & Ecclesiæ Racovien-
sis cura, quam Synagogam per contemptum vocas, Ministrum
vis ostendere. Si ergo is, qui conciones habuit, Minister est, Apos-
tolus qui docet singulos in Ecclesia prophetare posse; & etiam præci-
pit, ut æmulentur prophetare, id voluit scilicet, ut singuli pastores 1. Cor: 14. 31, & 39.
in Ecclesia fierent? Ac præterea, ne semel quidem est habita a me
Racoviæ concio; non quòd id me dedecere ullo modo existimarem,
sed quod semper, quoties Racoviæ esse licuit, adfuerint ii, qui me
longè id dexteriùs facere potuerint.

In scriptis tantundem est, ad eam rem concludendam, roboris.
Nonné vestri Catholici de religione scripserunt, etiamsi (ut vestro
more loquar) sacerdotes non essent? Scripserat quondam rex Angle-
rum adversus Lutherum, id pontifex Romanus vehementer appro-
bârat, num propterea est sacerdos a quoquam pontificius salutatus?
Scripsêre item alii, num propterea sacerdotes?

Quod ad curam attinet, ea quidem amoris, studii, officii; Eccle-
siæ, cui nomen dedi, debiti; at non muneris pastoralis est argumen-
tum. Quare ad vanum tuum commmentum asserendum, Smigleci,
solidioribus tibi argumentis opus fuit. Non sic, mi Smigleci, in hac
Republica nati, educati, & instituti sumus, ut vitæ nostræ institutum
latêre possit. Viximus quondam in maxima hominum luce, dum Re-
ipublicæ operam navaremus; postquam in otium secessimus, ut stu-
diis nostris liberiùs vacaremus, ne hac quidem ratione lucem homi-
num declinare potuimus. Quære ex tuis Catholicis, imò sacrificis,
quibus etiam semper exprompta est & expedita nostra opera; cum
ad te venerint, disces, quod vitæ genus profiteamur. Vivimus in pos-
sessionibus nostris, quemadmodum ab ineunte ætate, more nobili-
bus in nostris regionibus usitato, viximus. Racoviam sæpe gravibus
solicitati caussis venimus, ubi commoramur, prout libet, vel quò ad
res exigit. At quoniam scripseram, si mihi Ministri munus contigis-
set, me omnibus majorum meorum honoribus & ornamentis illud
præpositurum fuisse; scribit, se non intelligere, quomodo id pro con-
tumelia a me haberi potuerit, quod me Ministrum appellâsset. Nem-
pe igitur, si imperatorem; in quo munere summus honor, summa
dignitas; appellaret Smiglecius, qui imperator non esset; & eo animo
appellaret, quem hîc ut aliàs erga Ministros nostros pulchrè detexit,
non id contumeliæ loco alter duceret? At jam ad Ministros descen-
dit, & ait: *Nondum vidimus aliquos illustres & honoris amantes viros,*
vel ambiisse, vel admodum expetisse, sed refugisse potiùs, & dedecori du-

xisse. At in clausſtro, credo hoc non visum Smiglecio. Inter nos verò sunt permulti, ex clarissimis familiis orti, & honoris certè amantissimi ac nobilissimi viri, qui munus id admodum expetierunt; & eo summo cum studio & dexteritate perfunguntur. Quin etiam ex eorumdem numero, cum Smigliam non ita pridem in possessione tenerem, ecclesiæ nostræ quæ Smigliæ est, quidam ex horum numero cum laude præfuerunt. De me verò æstimet, ut volet Smiglecius: Quod scripsi, scripsi; & eo munere, in quo aliis præire doctrinâ & pietate, ad summam felicitatem possis, nihil excellentius esse posse ostendi, quod etiamsi homines illustres, & nobiles non appeterent, nihilominus tamen, excellentissimum & præclarissimum naturâ manebit.

At quòd Ministros, *blasphemias in Deum, & verum Dei Filium, & spiritum sanctum execrandas evomere: Cacodæmoni servire; linguas eidem & mentes consecrare, illius esse nobilissima instrumenta ad verum Dei cultum demoliendum, & homines a salute abducendos* &c. *mercedem laboris accepturos ignem devorantem* &c. scribit, hæc convitia sunt, quæ Smiglecius in homines innoxios & immerentes, ut genio suo obsequeretur, effudit. Asserunt Dei, & veri filii Dei, & spiritus sancti honorem a commentis hominum nostri Ministri, nullas igitur in Deum, nullas in Dei verum Filium, nullas in spiritum sanctum blasphemias, nedum execrandas evomunt. Quin honor Dei, & Christi ejus Domini nostri, ac spiritus sancti, est Ministris nostris, quemadmodum nobis omnibus, ipsâ vitâ charior. Nec verò cacodæmoni serviunt qui ab initio peccat, ut Divus Ioannes ait: sed Christo Dei Filio, quem in hoc apparuisse idem Apostolus scribit, ut dissolvat opera Diaboli; Ministri nostri, qui omnes nervos huc intendunt, ut homines a peccatis avocent, & ad virtutis & pietatis solidæ, quæ præceptis Domini Iesu est definita, studium revocent; summam omnibus piè vivendi necessitatem imponentes, dum sine sanctimonia neminem Deum visurum, identidem omnibus inculcant, & voce clarissima denunciant. Quapropter Dei cultum verum instaurant, non demoliuntur; homines ad viam salutis reducunt, & in illius possessionem certa spe mittũt, non in barathrum præcipitant; mercedem laborum tantorum non ignem devorantem nec incendia sempiterna, sed illam justitiæ coronam, a Deo talibus laboribus propositam, relaturi.

1. Ioan. 3. 8.

Sic exceptis Ministris ad me redit, & scribit: *Scio Moscorovium tantos sibi spiritus sumere, ut se solum sapere, solum se divino colluſtratum lumine*

lumine esse reputet: cæteros ante ipsum fideles, errorum tenebris involutos, ignorâsse ea, quæ per Socinum apostatam Racovienſibus revelata sunt ab eo, qui se transfigurare solitus est in angelum lucis. At mi Smigleci, divinæ literæ mihi præcipiunt, ne cuivis spiritui credam, sed probem spiritus si ex Deo sint; eædem injungunt, ne prophetias despiciam; omnibus exploratis, bonum retineam. Ergo quia me divinis litteris reverenter submitto, nec Ecclesiæ tuæ placitis, me ab hoc examine spirituũ avocantis, nec sua examinari sustinentis, cõtra divinarũ litterarũ auctoritatem assentior, tu me ejus opinionibus ac si solus sapiã, sol' divina irradiatus luce sim insimulabis? Quod ad me attinet, in omnibus Dei dona, quibuscunq; cõtigêre, admiror, amplector, cupidè excipio; verùm divinarum literarum vẽtilabro paleas a granis, ubiq; secernendas duco. Socinum porrò nihil habuisse rei cum eo, qui se transfert in angelum lucis, scripta ipsius cuiq; attentè ea legenti evidentissimè demonstrant; vitæ verò illius innocentissimè actæ, testes superstites, abundè refellũt. Quod verò *tumorem & arrogantiam*, quę mihi adscripsit, *esse proprium hæreticorum* ait, *ut judicium suũ Ecclesiæ totius anteponant; & persuasissimum habeant, sua mendacia esse fidei veritates.* & deinde denunciat mihi & aliis, *quòd miser*, ut scribit, *intellecturus sim aliquando, quid sit a sensu ecclesiæ catholicæ recedere* &c, ad ea hæc habeat Smiglecius; neque me hæreticum probavit, neque, eam spem in Deo Christoque ejus fixi, posuiq́ue, probabit umquam. De meo verò fastu & arrogantia, e responsionibus ad Smiglecii exceptiones, æquus lector, & alii qui me nôrunt, judicent. Ad illas minas respondeo, rogo Smiglecius desinat tandem in tanta Evangelii luce, nos larva & specie Ecclesiæ suæ, aut sensus ipsius terrere. Suis hæc servet, nobiscum vero auctoritate divinarum litterarum & ratione certet; sciatque malè quid adversario ominari, non esse rectè contra adversarium argumentari. At quod scripsi, me veritati cessurum; ad sua scripta contra Smalcium, Volkelium, & me ipsum, me remittit: & me legere & relegere eadem jubet. verùm fecimus hæc, sed in iis nihil aliud quàm Smiglecium adversus veritatem multa, verùm infelici successu, conatum deprehendimus. Ast ego longè utilius consilium dabo Smiglecio, si illud admissum velit; nempe ut divinas litteras nocturna diurnaque manu verset, & Ecclesiæ suæ placita ad normam illarum exigat & examinet; ad quam rem nostri cœtus scripta, si ea prejudicata opinione solutus legere velit, multum adjumẽti sunt illi, uti reor, allatura; & tum facilimè, nisi quid in animo divinæ gratiæ obstiterit, deprehendet, & quanto in errore ipse hucusque versatus

1. Ioan: 4. 1.

sit, & quantum ipsius Ecclesia, ab illa puritate doctrinæ Apostolicæ recesserit. Quod ut illi contingat, votum voto rependens, animo ipsius salutis cupidissimo, opto precorque. Tu verò Domine Iesu, spes nostra, præfer divinæ tuæ veritatis facem, ad animos omnium ab omni erroris & impuritatis labe liberandos, tibi Deoq; Patri tuo mancipandos, quò hîc in terris in vera pietate tibi Deoq; tuo omnes serviant, & tandem in æternum te, nomenque Dei tui concelebrent, Amen.

Ad Lectorem cordatum.

EN libello, veluti præmissis quibusdam, scitam a Smiglecio subjectam conclusionem. Ait, nos, quos Arianos vocat, eò collimare, ut religionem omnem tollamus: Cur verò? quia religionē omnem in fide in Iesum Christum per charitatem efficaci, & pietate ac virtute omni sitam, docemus, eoque religionem illam, quæ rerum externarum pompâ turgeat, longè a vera religione discessisse demonstramus. Modum deinde evertendæ religionis multiplicem ostendit: Primum multorum deorum, gentilium more inductionem. Atqui fidem in Deum, & filium Dei, juxta illud Christi docemus: *Creditis in Deum, & in me credite;* Vbi verò in his plurium Deorum gentilismi more inductio? At viderit Smiglecius, ne hoc in ipsum quadret, qui in sanctos, modo suo ex disciplina magistrorum suorum credat. Nobis unus est Deus, Pater ille ex quo omnia, & unus Dominus Iesus Christus per quem omnia, uti nobis Apostolus Paulus manifestavit. Secundò, negationem filii Dei, & spiritus sancti divinæ naturæ. At cùm hîc sequamur apertissimam spiritus divini vocem: Filium Dei, eò filium Dei esse, quòd e spiritu S. conceptus, & magis, quòd ille Christus Dei sit, & spiritum sanctum esse Dei, qui e Patre procedat, adversus humana commenta asseramus, veritatis divinæ vindices, non eversores censendi sumus. Tertiò, abnegationem ejus rei, quòd sanguis Christi sit verum pretium. At verò nos esse redemptos sanguine Christi, in Christo Domino nostro gloriamur, sed quia vocis, redemtionis, hîc usum in scripturis metaphoricum docemus; & ex scripturarum sensu explicamus, nec hominum placitis hîc nobis standum putamus, idcirco scilicet religionem negamus; & religionem, quam ut ubique, ita & hîc propugnamus, pessumdare accusamur? Quartò; quod sacrificium unicum in cruce pro peccatis peractum rejiciamus: At cùm nos Christi mortem supra modum æstimemus, & illam unico sacrificio, quo salus nostra constat, veluti januam fuisse, ad illud consummandū, censeamus; illud verò tum peractum

Ioan. 14. 1.

1. Cor. 8. 6.

fuisse,

fuisse, cùm Christus se Patri in cælis obtulisset, cum divino ad Hebræos scriptore, ab eo edocti statuamus, eximium divinissimæ Christi religionis mysterium, ita explicamus, ut ejus nomine coronam a Christianis mereamur. Quintò, quòd sacramentis nullam vim nostri servandi relinquamus. Hoc verò, inquam, tale est, ut nihil sit, quod magis religionem a superstitione discriminet, quàm si homines intelligant, nisi juxta Christi præcepta piè vixerint, sacramenta, externos ritus nihil illis prorsus profuturos; & qui aliter sentit, is religionem veram revera evertere censendus est. Sextò, quòd baptismum aquæ in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, a Christo institutum pernegemus. At Smiglecius, qui illius mos est, vera falsis permiscet. nam nos baptismum in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, a Christo institutum & præceptum asserimus; at hunc baptismum, esse aquæ baptismum negamus. Ne igitur hæc confundat, quæ confundit, ut liberiùs calumnietur. Septimò, quòd animorum immortalitatem, & eorundem quæ nunc gerimus corporum resurrectionem negemus. At hîc etiam falsa veris permiscet. Animorum nos immortalitatem negare, falsissimum est. Corpora, cùm pro animalibus, spiritualia; pro infirmis, fortia; pro ignominiosis, gloriosa; secundùm Apostoli doctrinam expectemus: eorum nos miseret, qui in tam infirmis & adeò vilibus corporibus, æternùm manere desiderent. Itaq; ex his, quæ attulit Smiglecius, non solùm nihil attulit, quòd nos religionem evertere argueret, sed, si calumniandi libidinem explodas; quòd ad instaurandam religionem, & avito nitori restituendam non pertineat. Et qui nos id agere non videt, ille certè in religionis negotio non multum videt. At quia idem nobis bellum denunciat, hoc quidem beneficii loco ducemus. Desistat modò a calumniis, a tavtologiis, quarum modum nescit ullum; temperet sibi si placet a maledictis, directè ubique respondeat, & tum apparebit utra pars veritatem defendat, utra illi temere resistat. Quod ut Dei benignitate omnibus innotescat, præstet hoc ille, a quo omnis veritas, Amen. Tu verò lector hæc lege, & ne calumniatori Smiglecio pl^u fidei, quàm rationi & veritati adhibeas, pro tua prudentia cavendum putabis. Vale in Domino, & in veritatis divinæ notitia corroborare.

1. Cor: 15 42, 43, 44.

Errata benevolus lector, quæ inter imprimendum per absentiam authoris irrepsêre, sic corrigat; uti & alia quæ annotata non sunt maximè in interpunctionibus.

Pag:	*Vers:*	*correctio.*
2	3	Formâ
3	21	*pro* Christo *lege* sibi.
7	34	simus.
8	29	*expunge colon post* remittere.
9	33	*pro* a mortuis, *lege* à Iudæis.
	35	*expunge semicolon post* Israël.
	38	iis *dele.*
14	6	*post* invocatio *pone punctum.*
15	37	sint,
29	2	incerto.
	5	*post* appareat, *supple*, age vim ejus perpendamus.
39	28	oportere. Excipit.
	38	conticuit.
41	28	directæ.
57	4	blasphemias.
58	12	tribuitur.
61	13	*loco* quâ, *pone* quam.
62	4	testatur.
	34	fateor.
63	36	vetante.
67	10	filium.
70	7	*loco* cùm *pone* quæ.
77	29	confessis.
78	15	sensêre.
79	34	divino.
81	19	*pro* quæ, *pone* quâ.
83	24	probat *literâ antiquâ.*
90	32	debeam.
	36	hic.
100	12	*post* aquæ *adde* in verbo.
102	26	illis vocibus.

pag:	*Vers:*	*correctio.*
108	4	mutari.
122	4	*post* attendendum est. *adde* Infantes ab Herode
	17	Deus.
123	34	consistere.
	ult:	*loco* eos *pone* infantes.
126	1	fuisset a gravit:
128	18	Etenim.
133	4	*pro* fundamenti Christus magister *pone* orbis Christiani magistri.
135	4	Quid audio?
145	37	Arianum.
157	5	*pro* esset *lege* est.
162	7	naturâ divinos.
174	17	*pro* aut *lege* at.
178	20	innumeris.
198	21	nascatur.
200	21	*post* divinus sit *adde* planè
203	9	opinionis. (fecerimus.

In margine.

26	Res communicari,
30	Testis & ratiocinatoris.
38	In Dialogo cum cum *dele unum* cum.
44	Vbi sit, *lege*, ubi sit.
53	Spiritum &c. in loco Matth: sumi.
58	Refutatio illias, illius.
69	æstimanda.
82	Netura, natura.
121	degenerationem, regenerationē.
135	diluuntur.
137	rei,
167	Romanâ *lege* Romana.
171	*pro* Intelligētiæ *pone* Intelligētiis.
	pro validissimum *pone* notissimum.

INSTYTUT OSSOLINSKICH 7

95 41

13449

9541